39 Secunda tamen concluſio ſit. Votum longæ peregrinationis emiſſum ab epiſcopo eſt validum. Quia, ut diximus *n.* 8. vota ſubditorum de rebus ſibi prohibitis ſunt licita, & valida, ratione conditionis affirmativæ in ipſis imbibitæ, *ſi ſuperior conſenſerit*. Ergo idem eſt de epiſcopis dicendum, cum nulla alia ſubſit ratio, ob quam deberent eſſe irrita, niſi ratione prohibitionis materiæ. Præterea, quia nullibi *eo c. Magna, de voto*, dicitur id votum fuiſſe irritum, imò ſupponitur fuiſſe validum & ideò eſt a Pontifice commutatum. Pro hac ſententia ſunt Doctores *num. præced.* allegati, quatenus ajunt, valuiſſe id votum in ipſius epiſcopi præjudicium. Et expreſsè docent *Tabiena verb. Votum* 5. *q.* 2. *n.* 1. *Suarez* latè probans *tom.* 2. *de religione, tractatu de voto, lib.* 3. *c.* 4. *a n.* 4. *uſque ad* 7.

40 In hoc tamen caſu judicarem, eſſe irritum id votum, quando attentis circumſtantiis judicaretur majus Dei obſequium reſidere, nec petere ejus abſentiæ facultatem. Quia tunc tamquam obſtans majori bono non obligaret.

41 Quando autem id votum eſſet validum, non approbo, quod Doctores *n.* 38. allegati dixere, nempe, teneri epiſcopum ad expenſas eundi, & redeundi. Quia ex vi voti tantùm tenetur implere conditionem, petendo licentiam a Pontifice. Quòd ſi ille deneget, ad nil obligabit votum, dum Pontifex voluntatem non revocarit. Si autem licentiam concedat, obligat votum ad peregrinationem, & ſi illam exequi velit, nulla opus eſt commutatione. Si autem exequi nolit, opus eſt commutatione, aut diſpenſatione, nec eſt preciſè neceſſarium commutationem fieri in eas expenſas. Ut tractantes de votorum commutatione probabimus. Quando autem id votum eſſet irritum, tamquam obſtans majori bono, nulla ſolvendi expenſas remanet obligatio. Quòd illæ non ſint per ſe promiſſæ, ſed tamquam acceſſoriæ voto perſonali: & ideò ceſſante obligatione principali, ceſſat acceſſoria. *Regula cum principalis ff. de regulis juris.* Nec voti irriti, ac proinde non obligantis eſt neceſſaria aliqua commutatio.

42 Hinc aliqui excipiunt votum eundi in ſubſidium Hieroſolymitanum, quaſi illud emittere, & exequi inconſulto Romano Pontifice ſit integrum Epiſcopis. Ita docent *Antonius c. Scriptura n.* 4. *verſic. Secundo modo, de voto, & ibi Abbas numero ultimo, Cardinalis n.* 3. *q.* 8. *Ananias n.* 9. *Idem Cardinalis c. finali num. unico qu.* 2. *de voto., Anchar. c. magna, n.* 12. *de voto.* Et ita forſan eſſe tradunt *Innocent. eo c. Scriptura, n.* 3. *& ibi Hoſtienſ. n.* 7. *Joannes Andreas, n.* 4. *Anchar. n.* 11. Alii verò id negant. Ita *Abbas c. fin. n.* 2. *de voto, Sylveſt. ſumma verb. Votum* 3. *n.* 4. *Roſella verbo Votum* 2. *num. ult. Tabiena verb. Votum* 5. *qu.* 3. *num.* 4. At dicendum eſt, id olim licuiſſe Epiſcopis, cum omnibus generaliter concedebatur aditus in terram ſanctam: at cum hodie is aditus non pateat, indiget Pontificia licentia. Quod tradunt *Hoſtienſis eo c. Magna num.* 9. *Abbas num.* 15. *Azor. tom.* 1. *inſtitut. moralium, lib.* 11. *c.* 16. *q.* 2.

43 Tertia concluſio. Si votum Epiſcoporum ſit modicæ peregrinationis, vel precum, vel abſtinentiarum, quæ munus exequi non impediunt, eſt abſolutum, & obligat nulla Pontificis expectata licentia. Quia nulla alia ratione eſt ea neceſſaria, niſi ne impediatur munus, ad quod ex juſtitia tenetur Epiſcopus: ac proinde executio votorum non impedientium nullâ indiget licentia; nec pendet a dominativa alicujus poteſtate, ſed in his eſt ſui juris ad vovendum. Atque ita tradunt *Hoſtienſis ſumma tit. de voto §. Quis vovere poſſit, n.* 7. *& c. Magna, n.* 16. *de voto, ubi Joannes Andreas n.* 9. *Cardin. n.* 5. *oppoſitione* 4. *Henricus c. Scriptura n.* 1. *de voto, Ricardus* 4. *d.* 38. *art.* 4. *q.* 2. *& ibi Paludanus q.* 3. *art.* 1. *in* 6. *Major. qu.* 4. *dub.* 1. *Turrecr. c. ſunt quædam* 17. *qu.* 1. *nu.* 2. *Abulenſis c.* 30. *Num. qu.* 66. *Supplementum Gabrielis* 4. *d.* 38. *qu.* 1. *art.* 5. *poſt* 3. *concluſionem, verſ. Primò Epiſcopus, Angelus verb. Votum* 2. *nu.* 1. *Gregor. Lopez lib.* 3. *verb. el Obiſpo, tit.* 8. *art.* 1. *D. Antoninus* 2. *part. tit.* 11. *c.* 2. *§.* 6. *verſic. Primò ergo, Sylveſt. verb. Votum* 3. *q.* 1. *Tabiena verb. Votum* 5. *q.* 1. *n.* 2. *Alcozer ſumma cap.* 16. *ubi de potentibus irritare, concluſione* 1. *fol.* 55. *p.* 2. *Manuel.* 2. *tom. ſummæ c.* 88. *nu.* 1. *Graſſis* 2. *p. deciſionum, lib.* 2. *c.* 12. *n.* 23. *Azor. tom.* 1. *inſtitut. moralium, lib.* 11. *c.* 16. *q.* 2. *Sayro in clavi regia, lib.* 6. *c.* 5. *n.* 24. *verſic. Secundò vovere.* Ex quo optimè deducit *Suarez tom.* 2. *de religione, tractatu de voto, lib.* 3. *c.* 4. *n.* 10. ſi peregrinatio non excedat tempus anni jure conceſſum Epiſcopo ad abſentiam, eſſe votum abſolutum, & independens a Pontificia licentia. Quòd in illa non læditur Eccleſia.

44 Quarta concluſio. Clerici habentes qualiacumque beneficia exigentia reſidentiam, nequeunt longæ peregrinationis, aut aliorum in ſuæ eccleſiæ præjudicium vergentium, voto ſe adſtringere, abſque epiſcopi licentia. Conſtat ex *c. Magna, verſiculo, Ipſum etiam votum, de voto, & c. Non oportet el* 1. *de conſecratione, diſt.* 5. Alia autem vota, quæ hoc præjudicium non afferunt, ut aliquarum orationum, modicæ peregrinationis, emittere valent abſque alicujus licentia: & ſunt omnino abſoluta. Conſtat ex dictis *nu. præced.* Atque ita docent *Hoſtienſis ſumma tit. de voto §. Quis vovere poſſit, n.* 7. *Paludan.* 4. *d.* 38. *quæſt.* 3. *art.* 1. *n.* 6. *& ibi Supplementum Gabrielis qu.* 1. *art.* 5. *poſt* 3. *concluſ. verſic. Secundò clericus, Abulenſis c.* 30. *Num. q.* 70. *D. Antonin.* 2. *p. tit.* 11. *c.* 2. *§.* 6. *verſic. Quintò clerici, Roſella verbo Votum* 2. *nu.* 16. *Angelus verbo Votum* 2. *n.* 2. *Sylveſt. verbo Votum* 3. *q.* 2. *Tabiena verbo Votum* 5. *q.* 2. *n.* 3. *Greg. Lopez l.* 2. *in fine in tit.* 8. *p.* 1. *Turrecremata c. Sunt quædam* 17. *q.* 1. *n.* 3. *Alcozer ſumma c.* 16. *ubi de potentibus irritare vota concluſione* 2. *folio* 55. *Manuel* 2. *tom. ſummæ c.* 88. *n.* 3. *Azor tom.* 1. *inſtitut. moralium, lib.* 11. *c.* 26. *q.* 3. *Sayro in clavi regia lib.* 6. *c.* 5. *n.* 25. *Suarez* allegatus *numero præcedenti*, benè declarans modicam peregrinationem eſſe, quæ petit ſolam abſentiam jure conceſſam. Atque non poſſe eos vovere longam peregrinationem, docent etiam *Innocent. c. Scriptura, de voto, & ibi Hoſtienſ. n.* 7. *Joann. Andr. n.* 4. *Abbas num. ult. Cardinal. nu.* 2. *q.* 7. *Anchar. n.* 10. *Ananias n.* 8. *Henricus nu.* 2. *Ricardus* 4. *d.* 38. *art.* 4. *qu.* 2. *Graſſis* 2. *p. deciſionum lib.* 2. *c.* 12. *nu.* 24. Et quamvis textus *eo c. Non oportet*, loquatur etiam de quibuſcumque clericis, & laicis, dicens eos non debere aliquò proficiſci abſque commendatiis Epiſcopi litteris, non continet præceptum, ut ex tenore verborum conſtat: nec illæ litteræ ſunt jam in uſu, ſed ſolùm ſunt neceſſariæ in clericis, ut ad ordines, vel ad ſacra myſteria admittantur, juxta antiqua Concilia innovata per *Tridentinum ſeſſ.* 23. *de reform. c.* 16. Et utrumque docet *Suarez eodem lib.* 3. *c.* 4. *n.* 9.

45 Duplex tamen votum excipitur. Prius eſt: eundi in ſubſidium Hieroſolymitanum. Ita *Ricardus, & Roſella* relati *numero præcedenti*. At dicendum eſt, ſicut diximus *num.* 42. de Epiſcopis, id ſolùm licuiſſe olim, quando omnibus generaliter illuc aditus patebat. Quod benè docent *Supplementum Gabrielis verſic. Et accipiendo crucem, Angelus, Sylveſt. Tabiena, Azor. num. præced.* relati, *Suarez eod. c.* 4. *n.* 12.

46 Dicunt tamen *Supplementum Gabrielis, Angelus, Sylveſt. ibidem*, teneri hos clericos ſolvere expenſas itineris, & reditus peregrinationis illius magnæ promiſſæ. Sicut *num.* 38. retulimus multos dicentes idem de Epiſcopo vovente longam peregrinationem. At ſicut *num.* 41. id reprobavimus in Epiſcopo, ita & in his clericis eſt reprobandum.

47 Poſterius eſt votum religionis, quod poſſunt omnes hi emittere, & exequi, quantumvis contradicat Epiſcopus. Quia tamquam ſpeciale ſtatuitur in Epiſcopo, ut eo voto nequeat ſe abſque Pontificis licentia adſtringere, *c. Licèt* 18. *de regular.* Atque ita docent *D. Thom.* 2. 2. *q.* 189. *art.* 7. & omnes Doctores nemine contradicente. Et conſtat ex *c. finali* 19. *q.* 2.

48 Dicunt tamen aliqui, teneri hos licentiam petere ab Epiſcopo, quamvis ea denegata poſſint ad religionem tranſire. Ducuntur ex *c. Licèt* 18. *de regular.* Poteſt etiam probari ex *c. Admonet* 4. *de renuntiatione*, ubi jubentur beneficiarii non admittere Eccleſias inconſulto Epiſcopo. Sic docet *Hoſtienſ. ſumma tit. de voto §. Quis vovere poſſit, num.* 7. *verſic. Clericus, Abbas c. Quod Dei timorem, num.* 11. *de ſtatu monach. Henricus c. Scriptura n.* 2. *de voto, Abulenſis c.* 30. *Num. q.* 70. *Angelus verb. Religioſus n.* 12. *Sylveſt. verb. Relig.* 2. *qu.* 8. *Tabiena verb. Religio* 2. *qu.* 8. *Tabiena Religio qu.* 12. *n.* 13. *Azor. tom.* 1. *inſtitutionum moral. lib.* 11. *c.* 16. *q.* 3. *Ludovicus Lopez* 1. *p. inſtructorii conſcientiæ c.* 48. *verſ. penult. Sayro in clavi regia lib.* 6. *c.* 5. *n.* 25. *Graſſis* 2. *p. deciſionum, lib.* 2. *c.* 11. *num.* 24. Atque idem tenet loquens de habente beneficium parochiale *Suarez tom.* 2. *de relig. tractatu de voto lib.* 3. *c.* 4. *n.* 10. Verùm hoc nullo jure probatur, & ideò credo nullam ejus licentiæ petendæ obligationem eſſe. Quia textus *c. Licèt* 18. *de regular.* de ſolis religioſis ſtatuit eam licentiam petendam eſſe, quamvis non obtineatur. Aliàs eſſet in Epiſcopi poteſtate examinare, an hi bono zelo ducantur, & denegare licentiam eo deficiente. Sicut contingit in religioſis voventibus tranſitum ad arctiorem religionem. Nec etiam textus in *c. Admonet* 4. eſt in contrarium. Quia *Gloſſa ibi verbo inconſulto*, dicit eos tamen clericos poſſe ad religionem tranſire: quamvis non ita clarè loquatur, quia ſtatim adjungit etiam regulares poſſe, petita tamen licentia, licèt non obtenta: & ſic poſſet quis dicere exceptionem illam *Gloſſæ* referri ad utrumque membrum. Pro hac etiam parte eſt textus *c. Finali*, 19. *q.* 2. quod eſt ex Urbano II. qui abſolutè licentiam tranſitus ad religionem his conceſſit. Si tamen Eccleſia graviter læderetur, eſſet beneficiarius ille revocandus: argumento ex *d. c. Admonet, & c. Si qui verò* 7. *q.* 1. & ideò hanc partem tuentur *Innoc. eo c. Licèt, n.* 3. *& ibi Hoſt. n.* 7. *Anton. n.* 7. *Cardinalis n.* 3. *q.* 10. *Abbas n.* 14.

49 Quinta concluſio. De votis prælatorum habentium juriſdictionem epiſcopalem in ſua diœceſi ipſis plenè ſubjecta, ut ſunt quidam Abbates, dicendum eſt prorſus idem, quod de votis Epiſcoporum diximus *nu.* 36. *& ſequentibus*. Quare nec votum religionis, nec longæ peregrinationis, nec aliorum Eccleſiæ ſuæ præjudicantium exequi poſſunt Epiſcopo inconſulto. Quia cum in omnibus ad juriſdictionem pertinentibus ſint Epiſcopi, ſolaque conſecratio eis deſit, ſunt veri Eccleſiarum ſuarum ſponſi, inſtar Epiſcoporum: & ſic in eis militat eadem prorſus ratio.

50 An verò vota Epiſcoporum, & habentium beneficium, per quæ Eccleſiæ præjudicatur, poſſint verè irritari a Pontifice, vel Epiſcopo, dicemus *c. ſequenti n.* 6. *& 7.*

51 Hìc ſolent Doctores tractare de votis Abbatum. Sed

Sed ſi illi ſint ſæculares, & habeant juriſdictionem Epiſcopalem, jam diximus *num.* 49. Si ea careant, eſt dicendum de illis, ſicut de aliis beneficium habentibus diximus *num.* 44. Quòd ſi regulares ſint, eſt idem dicendum, quod de religioſis. Jam enim cum omnes religioſi ſint exempti, ceſſat, quod tradebant Doctores, nimirum, eos vouere non poſſe redundantia in ſui officii detrimentum abſque Epiſcopi licentia. Atque ita benè docet *Sayro in clavi regia, libro* 6. *c.* 5. *num.* 23. *in fine.* Tractant etiam hìc Doctores, quid religioſi, quid conjuges, quid filiifamilias, quid ſerui vouere valeant independenter à ſuperiorum ſuorum voluntate, ita ut ab ipſis irritari nequeat. Sed de his agemus tractantes in ſpeciali de irritatione votorum, quæ à ſingulis his emittuntur. De votis autem ante Epiſcopatum, & beneficium emiſſis, dicemus *c.* 31. *num. ſeptimo.*

CAPUT XXVI.

An vota ſemel legitimè irritata ab habentibus poteſtatem dominativam, reviviſcant, vimque obligandi recuperent, voventibus exemptis eorum poteſtate?

SUMMARIUM.

Quò differant irritatio impropria, ſeu ſuſpenſio, & propria? numero 1.
An vota irritata reviviſcant? Refertur duplex opinio, numer. 2. *& 3.*
Traditur regula ad explicandum, quando ſit vera irritatio, & expecatur an vota filiorum impuberum, & puberum, religioſorum, & uxorum, & ſeruorum, verè irritentur, ita ut non reuiuiſcant, num. 4.
Traditur regula declarans quando ſit impropria irritatio, & ita vota irritata reuiuiſcant, n. 5.
An vota Epiſcoporum, quæ Pontifex irritare poteſt, verè irritentur, ita ut non reuiuiſcant? n. 6.
Quid de votis beneficium habentium, quæ Epiſcopus irritat? n. 7.
Quid de aliis votis ſpecialibus irritatis? Remiſſiuè, n. 8.
Solvuntur argumenta? n. 9.

1 MEminiſſe oportet diſcriminis, quod *c.* 24. *num.* 3. tradidimus inter propriam, ac directam irritationem, ac impropriam indirectamque, quòd per priorem extinguatur prorſus obligatio voti, & ita tamquam ſemel extincta, numquam reuiuiſcit, ſed opus eſt nova voti emiſſione, ut illud obliget: per poſteriorem autem ſuſpenditur tantùm, & ideò ceſſante prohibitione, aut ſubjectione illi ſuperiori, reuiuiſcit, priſtinaſque vires recuperat.

2 Difficultas ergo hujus quæſtionis eò pertinet, ut explicetur quando ſit propria, ac directa voti irritatio, ut ſic numquam reviviſcat: quando autem ſit impropria directaque, ſeu ſola ſuſpenſio, ut ceſſante prohibitione reviviſcat. Quidam abſolutè docent vota irritata reviviſcere ceſſante ſubjectione, ac proinde cenſent, non eſſe veram irritationem, ſed ſuſpenſionem. Communiter refertur pro hac ſententia *Innoc. c. Scriptura num.* 3. *verſic. idem credimus de voto*, quem omnino ſequuntur *ibi Hoſt. ad finem, Joann. Andr. num.* 4. *Anton. num.* 3. *Card. quæſt.* 13. *Ancharan. num.* 8. qui omnes tantùm dicunt impuberem teneri votum peregrinationis exequi, quando fuerit ſui juris: quamvis non explicent, ſi votum fuerit à parentibus, vel tutoribus irritatum; at apertè videntur in eo caſu loqui, nam ſi irritatum non eſſet, res erat manifeſta, nec opus erat expectare tempus, quando ſui juris ſunt. Et hoc etiam videtur tenere *Tabiena verb. Votum* 5. *num.* 6. At poſtea concilians opiniones id moderatur, & ita potiùs eſt pro contraria ſententia. Ut *num.* 4. videbimus. Et idem tenent *Vincentius in ſpeculo doctrinali, tom.* 1. *lib.* 9. *c.* 58. Et ejuſdem ſententiæ ſunt apertè *Paludan.* 4. *diſtinct.* 38. *quæſt.* 4. *art.* 2. *concluſione* 11. *num.* 21. *& D. Anton.* 2. *part. tit.* 11. *c.* 2. *§.* 6. *Secundò pueri in fine*, ubi ajunt impuberem retractum à religione per patrem, ſervum per dominum, conjugem per conjugem, cum ſimplex religionis votum emiſiſſent, teneri ceſſante ea ſubjectione, redire ad religionem.

3 Alii Doctores dicunt, quando poteſtas irritandi competit ſuperioribus ratione dominii in vouentis voluntatem, eſſe veram irritationem: ut contingit in impuberibus, quorum voluntas ratione imbecillis judicii eſt ſub patris dominio, tutoris gerentis vices patris: & in religioſis, qui nec velle, nec nolle habent, ſed ſuperior eſt dominus voluntatis eorum. Quare vota impuberum, & religioſorum irritata à ſuis parentibus, & prælatis numquam reuiuiſcunt. Quando autem poteſtas irritandi ſolùm competit ratione dominii, & poteſtatis in materiam promiſſam, tunc eſt ſola ſuſpenſio, & ideò ceſſante illius materiæ prohibitione, aut ſubjectione, reuiuiſcunt. Quod contingit in votis puberum, & ſervorum, quæ parentes, & domini non irritant ratione dominii in voluntatem, ſed ratione ſolius materiæ promiſſæ, & ideò non poſſunt irritare omnia illorum vota, ſed ſola emiſſa de materia ſubjecta eorum dominio, ac illi præjudicanti. Et idem contingit in votis uxorum, juxta ſententiam defendentem non eſſe integrum viro irritare omnia uxoris vota, ſed ſola de materia ſibi præjudicante. Et ita tenet expreſsè *Roſella verb. Votum* 2. *n.* 6. 7. 12. *& 13.* etſi enim non ſtatuat regulam ſub terminis dictis, ait tamen *num.* 6. *& 7.* vota impuberum irritata non reuiuiſcere, & *num.* 7. *& 12. & 23.* ait vota puberum, ſervorum, & uxorum irritata reuiuiſcere. Et tenet etiam *Valentia* 2. 2. *diſput.* 6. *quæſt.* 6. *puncto* 6. *quæſt.* 4. ubi prædictam regulam ſtatuit, & quamvis non explicet *ibi* in particulari de votis uxoris, & ſervorum, ſed in hoc poſteriori membro tantùm meminit votorum emiſſorum à puberibus; at *eodem puncto* 6. *quæſtione ultima*, dixit uxores viris, & ſervos dominis non ſubdi quo ad voluntatem, ſed quo ad ſolam materiam promiſſam. Et ita utraque vota comprehenduntur ſub ſua regula. Idem latiſſimè probans, tenet *Suarez tomo* 2. *de religione, tractatu de voto, in variis locis*, nam *lib.* 6. *c.* 1. *num.* 5. *& 7.* dicit ſola vota impuberum, & religioſorum, poſſe verè, ſeu directè irritari, at reliqua ut puberum, ſeruorum, & uxorum, tantùm irritari indirectè, ſiue ſuſpendi, atque ita ait, ſi aliunde obligatio voti non ceſſarit, ut quia tranſactum ſit tempus, cui alligatum erat, vota ea irritata reuiuiſcere. Et *eodem lib.* 6. *c.* 3. *numero* 1. *& 2.* tenet vota ſeruorum ſolùm indirectè irritari poſſe, & ita reuiuiſcere: & *c.* 6. *num.* 18. repetit idem de votis ſeruorum, uxorum, & puberum: & *c.* 4. *num.* 1. *& num.* 17. repetit idem de votis puberum. Et *cap.* 5. *num. ſeptimo* dicit voto religioſorum irritari propriè, & directè, & ideò numquam reuiuiſcere: & *c.* 6. *num.* 17. dicit vota impuberum irritari quoque directè, & numquam reuiuiſcere. Probat *Valentia*, quia nequit ſuperior irritare votum ſubditi quo ad ſolam materiam, niſi quatenus poteſt illi ſubtrahere materiam oblatam, quæ ſola eſt ſub poteſtate ſuperioris. At nequit materiam oblatam auferre, niſi pro tempore, quo eſt illi ſubditus: quia eo ſolo tempore materia eſt ſub illius poteſtate. Ergo nequit votum omnino irritare, ſed illud ſuſpendere, ac proinde ceſſante poteſtate reuiuiſcet. Et poteſt confirmari, quia quando ſubditus petit licentiam exequendi voti, eo tacito, negatio licentiæ ſuperioris non eſt voti irritatio: ut diximus ex omnium mente *c. præcedenti num.* 23. ſed ceſſat tunc obligatio, ſuſpenditurque per materiæ ſubtractionem, & ita ceſſante prohibitione reuiuiſcit. At ita contingit in præſenti, tantùm enim ſubtrahitur materia ſubjacens dominio hujus ſuperioris. Et ampliùs poteſt confirmari, quia dum conceditur his ſuperioribus poteſtas irritandi vota, ratione ſolius materiæ, conceſſio eſt ad ſolum ipſorum ſuperiorum damnum vitandum. Ergo eatenus tantùm irritare valent, quatenus oblatio materiæ illius promiſſæ eis nocet: non autem nocet, niſi, dum ſubjectio illa durat: non igitur irritatio extendetur ampliùs; & ſic ea ſoluta reuiuiſcet obligatio voti irritati. Secundò probat *Suarez dicto lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 1. & 2. quia ſervus, & uxor non ſubduntur domino, & viro in ſpiritualibus, ſed in ſolis ad uſum actionum, & rerum corporalium pertinentibus; non enim ſecundùm animam, ſed ſecundùm corpus ſubjiciuntur. Quia hæc ſubjectio, loquendo per ſe, eſt corporis, non ſpiritus; non enim ordinatur per ſe, & immediatè ad finem ſpiritualem, ſed ad humanum, & quaſi corporalem. Ergo ex parte voluntatis in ordine ad Deum ſunt liberi, ut Deo voueant, ſi materiam habeant accommodatam. Non ergo poterunt ſuperiores hi irritare vota directè, ſed tantùm ſuſpendere, quatenus materia eis nocet. Tandem probat *idem Suarez*, quia ſeruus ad ſe obligandum Deo; non dependet intrinſecè, & per ſe ex conſenſu domini: Ergo nec dominus poteſt directè irritare votum ejus. Antecedens patet, quia illa dependentia non eſt à natura, ut per ſe notum eſt, nec eſt ex voluntate ſerui, nullum enim tale pactum cum domino iniit: nec ex jure ſeruitutis introductæ jure gentium, vel ciuili, quia nec inuenitur tale jus, nec eſſet juſtum, nec forſan poſſibile, intra latitudinem ſeruitutis ciuilis, quia eſt longè inferioris rationis.

4 Quamuis autem hæc ſententia ſit valde probabilis; at contraria exponenda duplici regula tradenda, ad explicandum, quando competat poteſtas veræ, directæ irritationis, quando autem ſolius indirectæ, ſeu ſuſpenſionis, eſt probabilior. Utramque etiam regulam tradidi *libro de matrim. diſp.* 39. *num.* 34. ſed nunc eaſdemmet in ſubſtantia, clariùs autem explicatas, tradam. Prior regula ſit. Quando vota habent imbibitam conditionem pendentem ex ſuperioris voluntate, ſiue quia ſubduntur emittentes illa dominatiuæ alterius poteſtati, quo ad plenam voluntatis dominium, ut contingit in religioſis reſpectu ſuorum ſuperiorum, & in impuberibus reſpectu parentum, & ſuorum tutorum, & in uxoribus reſpectu virorum, juxta opinionem dicentem poſſe omnia earum vota à viris irritari: ſiue quia ſubdnutur, quo ad dominium voluntatis reſpectu ſolius materiæ promiſſæ, ut contingit in filiisfamilias puberibus reſpectu patris, vel curatoris, & in ſeruis reſpectu dominorum, & in uxoribus reſpectu virorum, juxta alteram opinionem dicentem ſola vota præjudicantia viro poſſe ab eo irritari: tunc poſſunt verè, & directè à ſuperioribus irritari, atque ſemel irritata manent perpetuò irritata, nec ſoluta ſubjectione reuiuiſcunt. Probatur, quia fundamentum poteſtatis irritandi competentis his ſuperioribus eſt, eò quòd vota quorumcumque ſubditorum domina-

tiuæ alterius poteſtati ſunt conditionalia, habentque conditionem imbibitam pendentem à ſuperioris voluntate. Ut optimè explicuit *D. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 8. ad quartum* loquens generaliter de omnibus hujuſmodi ſubditis: & *art. 12. ad 2.* ubi loquitur de ſervis, & filiis, ibi: *In votis ſubditorum, puta, ſervi, vel filii intelligitur conditio, ſi placuerit patri, vel domino, vel ſi non remittantur.* Qui ab omnibus recipitur, *c. præc. num. 6. & 8.* explicuimus eam conditionem affirmatiuam *ſi placuerit*, intelligi in votis rerum interdictarum: negatiuam autem, in votis operum licitorum. Et ideò *D. Thom. eodem art. 12. ad ſecundum* dicit, non poſſe ſuperiores ſolâ poteſtate ſpirituali gaudentes irritare vota ſubditorum, quia nullam imbibitam conditionem habent, ſed ſunt abſoluta. Quare ſicut deficiente conditione dicuntur non obligare vota conditionalia, ut ſi quis voueat caſtitatem, ſi nauis incolumis venerit, ea pereunte nullatenus voto obligatur: ita vota hujuſmodi ſubditorum non obligant ſuperiore irritante, quòd deficiat conditio imbibita in ipſis, tunc enim ſuperior denegat conſenſum, votoque contradicit. Quod optimè explicuit *Valentia 2. 2. diſp. 6. q. 6. puncto 6. paulo poſt principium, verſic. Pro explicatione*, ubi explicans doctrinam *D. Thomæ*, & Auctorum dicentium in votis horum ſubditorum imbibi conditiones prædictas, hæc ait: *Votum emiſſum à ſubdito ante conſenſum ſuperioris eſt conditionale, atque adeò dependens quo ad vim obligandi ex conſenſu ſuperioris, qui ſi conſentiat, tunc demum obligat id votum; ſin minùs dicitur id votum ſubditi irritari, hoc eſt, perinde eſſe, ac ſi non fuiſſet factum.* Et *Suarez tomo 2. de religione, tract. de voto, l. 6. c. 1. num. 9.* probat his verbis irritationem votorum in his ſubditis factam abſque cauſa validam eſſe. *Qua tale votum fuit implicitè conditionatum, & de facto conditio non impletur, quando ſuperior repugnat, ſive ex cauſa, ſive abſque cauſa ſuo arbitrio id faciat, & ideò id ſatis eſt, ut votum non obliget, utpote conditione non impleta.* Ergo inſtar aliorum votorum conditionalium, quæ omnino deficiente conditione extinguuntur, nullamque obligandi vim ampliùs retinent, extinguentur quoque in perpetuum vota hujuſmodi ſubditorum per irritationem ſuperioris, qua deficit conditio in ipſis imbibita. Et confirmatur, quia ſi uxores, ſervi, & puberes vouerent hac expreſſa conditione, *ſi vir, pater, aut dominus conſenſerint*, his diſſentientibus maneret votum irritum in perpetuum quaſi deficiente conditione: ſicut maneret, ſi conditionem ex cujuſque alterius arbitrio pendentem apponerent, & alter diſſentiret. At eadem conditio tacitè ineſt illis votis. Ergo ea deficiente per ſuperioris irritationem corruent in perpetuum. Quippe taciti, & expreſſi eſt idem judicium, *l. De quibus, in fin. ff. de legibus, & l. Cum quid ff. ſi cert. petat.* Et latè *Everardus in ſuis topicis loco ab expreſſo ad tacitum, ubi num. 1.* ait hoc facere, ut ſicut conditio expreſſa impedit ortum obligationis, *l. Cedere diem, ff. de verbor. ſignificat;* ita & conditio tacita. Secundò probatur, quia ſola ſuſpendendi poteſtas non efficit vota eſſe conditionalia, nec in illis imbibi aliquam conditionem: aliàs omnia vota præterquam ſummi Pontificis, haberent tacitam conditionem, & eſſent ſic conditionalia: cum omnia illa poſſe à ſuperioribus ſuſpendi, quando juri ſuperioritatis nocent, probaverimus *hoc lib. cap. 24. num. 4.* Et ita *D. Thom. 2. 2. q. 88. artic. 12. ad 2.* reprehendit quoſdam Doctores antiquos aſſerentes in omnibus votis claudi conditionem pendentem ex Pontificis conſenſu. Cum ergo *D. Thom. ibidem, & eadem quæſt. 88. art. 8. ad 4.* ab omnibus receptus, dicit in his votis omnium ſubditorum poteſtati dominativæ imbibi conditionem; *ſi ſuperior conſenſerit, aut non contradixerit*, non ſatis eſt ad hujus veritatem, ſi ſola ſuſpendendi poteſtas his ſuperioribus concedatur, ſed eſt concedenda poteſtas verè in perpetuum irritandi. Et confirmatur, quia *D. Thom.* & reliqui Doctores ponunt eodem tenore, & indiſtinctè, has conditiones claudi in votis ſubditorum omnium dominativæ alterius poteſtati. Non ergo aſſerendum eſt ita in aliquorum ex illis claudi, ut concedant poteſtatem verè irritandi, in aliorum autem, ut ſolam ſuſpendendi. Tertiò, quia, ut bene docet *Suarez eodem tractatu de voto, lib. 6. cap. 1. num. 3. in fine*, tunc votum pendet ab alterius poteſtate, ex parte perſonæ, ſeu voluntate ipſius voventis, ut poſſint verè irritari ejus vota, quando voluntas voventis circa illam materiam ſubordinata ſuperioris voluntati, ut in hac obligatione includat conditionem; *ſi alter conſenſerit, aut non repugnarit*, ut pendent impubes à patre, & religioſus à prælato. At ſimilem conditionem includunt vota ſubditorum quo ad ſolam materiam, ut ſervorum, puberum, & uxorum. Ut ex *D. Thom.* & aliis diximus. Ergo hi quoque erunt ſubditi ex parte perſonæ, ſeu voluntatis in vovendo, quo ad illam materiam, in qua ſubduntur, ut vel ſic vota eorum quo ad illam materiam poſſint verè à ſuis ſuperioribus irritari. Et confirmatur, quia ſicut ubi adeſt perfectum voluntatis ſubditi dominium, poteſt ſuperior omnia ejus vota verè irritare, eo quòd ratione illius perfecti dominii omnia vota habent imbibitas prædictas conditiones: ita quando adeſt partiale voluntatis ſubditi dominium, nempe, circa materiam peculiarem promiſſam, poterit ſuperior verè irritare vota circa illam materiam, utpote quæ ratione illius dominii includunt eaſdem conditiones. Quartò, quia quod juris eſt de toto quo ad totum, idem eſt, & eſſe debet parte quo ad partem *l. Quæ de tota, in principio, ff. de rei vendicat.* & latè tradit *Everardus in ſuis topicis, loco à toto ad partes, à numero*

2. Sicut ergo ad omnimodam, & totalem irritandi vota poteſtatem deſideratur, & ſufficit dominium totale voluntatis ſubditi, ſeu actus liberi, quo Deo vouet, ita ad partialem irritandi poteſtatem, nempe in materia determinata ſufficit, ac opus eſt partiale dominium, nimirum, voluntatis, ſeu actus liberi, quo materia illa promittitur. Tandem quia eſto argumenta contraria magis urgerent ſpeculativè loquendo, illis tamen non conuincentibus, ut minimè conuincunt, ut conſtabit ex eorum ſolutione *numero ultimo* adhibenda, eſſet in praxi hæc amplectenda, utpote quæ communi Eccleſiæ praxi, ac communi ferè omnium conſenſu eſt recepta, atque magis pia eſt, & fragilitati humanæ accommodatior. Et ideò hanc ſententiam ſuſtinent, quamuis enim verbis peculiaribus non tradant hanc regulam, tradunt tamen ſatis re ipſa illam, dicentes vota omnium ſubditorum dominativæ alterius poteſtati, irritata à ſuperioribus, numquam reviviſcere, ſed omnino extingui. Cum tamen conſtet non omnes in omnibus ſubdi, ſed quoſdam quo ad ſolam materiam promiſſam, *Abulenſis cap. 30. Num. qu. 79.* ubi loquitur de votis realibus puberum, & *quæſt. 86.* ubi loquitur de votis uxorum, & *q. 91. ſtatim in principio*, ubi loquitur de votis ſervorum. Et *Supplementum Gabrielis 4. d. 38. q. 1. art. 5. litera X. verſic. Si quæratur, & Angelus verbo Votum 2. nu. ultimo*, ubi poſtquam dixerant filios-familias, impuberes, & puberes, uxores, ſervos, impeditos eſſe ad firmiter vouendum, quærunt an ſi vota horum irritentur, teneantur ad illa ceſſante ſubjectione: & reſpondent non teneri. Et *Sylveſt. verbo votum 4. q. 2. dicto 3. & 4.* loquens de impuberibus & ſeruis, & uxoribus. Et egregiè *Cajetanus 2. 2. q. 88. articulo octano dubio penultimo*, ubi quærit, an vota ſubditorum irritata ab habente poteſtatem non perpetuam, ſint ſemper irrita, an potiùs ceſſante ſubjectionis ſtatu reviviſcant? Et reſpondent his verbis: *Siue votum fuerit perpetuum, ſiue temporale, ex quo eſt factum de eo, quod non eſt ſuum, ſi ſuperior in cujus poteſtate tunc eſt illud, quod voto promittitur; tunc irritat votum, ſubditus ampliùs non tenetur. Ut hoc apertè patet ex c. Quidam & c. Placet, de converſ. conjug. ubi profeſſus irritante uxore ſuum votum, non tenetur illa mortua ad religionem.* Et *Tabiena verbo Votum 5. quæſt. 5. nu. 6.* ubi quamvis priùs dixiſſet vota irritata reuiuiſcere, tandem concludit id eſſe verum, quando ſubditi cogitantes de poteſtate irritantis, voluerunt ſe expreſsè obligare, in quantum potuere, nempe, pro ſtatu ſolutæ ſubjectionis, ſecùs autem quando abſolutè emiſere vota. Et *Armilla verbo Votum num. 12.* ubi agens de voto uxoris facto ex licentia viri, ait uxorem poſt viri irritationem, non teneri ampliùs ad id votum, redditque rationem, quòd votum irritatum non redeat ampliùs, niſi denuo fiat. Atque idem prorſus citans *Armillam in hoc loco* loquenſque indiſtinctè de ſubditis tenet *Sayro in clavi regia, l. 6. c. 10. n. 13. in fine*. Et optimè *Sotus l. 7. de inſtit. q. 3. art. 1. col. 3. verſ. Aliud poſthac*, ubi hæc ait: *In univerſum votum quodcumque ſiue uxoris, ſiue ſerui, ſiue filii, ſiue religioſi, ſemel irritatum, nullam deinceps, virtutem retinet, qua ullo tempore obligare poſſit, niſi iteratò fiat.* Idem *Navarr. ſumma Latina, & Hiſpana c. 12. num. 66.* loquens de votis irritatis à viro, dominis, parentibus curatoribus puberum. Idem *Azor. tomo 1. inſtitut. moral. l. 11. c. 17. q. 4.* loquens de votis filiorumfamilias, uxorum, monachorum, & ſeruorum, *& quæſt. 11. in fine*, loquens de votis ſervorum. *Palacios 4. d. 38. diſput. 3. column. 15. verſic. Obſeruandum eſt autem, fol. 869.* loquens de votis impuberum, uxorum, & ſeruorum. *Arag. 2. 2. q. 88. art. 8. i fine* loquens de votis impuberum, & puberum. *Margarita confeſſorum folio 135. pag. 1. verſic. Nota quòd ſi pater, & Philiartus de officio ſacerdotum, tomo 1. part. 2. lib. 3. c. 4. concluſione 3.* & loquuntur ambo de votis puberum, ſervorum, & uxorum. *Ludou. Lopez 1. p. inſtructorii conſcientiæ c. 48. column. 3. verſic. Vota ſemel*, & loquitur de votis filiorum, uxorum, & ſeruorum. *Graffis* loquens de votis puberum *1. p. deciſionum lib. 2. c. 28. num. 5. Angles floribus* loquens de ſubdictis indiſtinctè *2. p. q. unic. de voto, art. 7. difficult. 8. Llamas methodo curationis 3. p. c. 4. §. 23.* loquens de votis puberum, ſeruorum, & religioſorum. *Vega 2. tomo ſumm. c. 129. caſu 20. ad finem, & caſu 95. & Corrad. in ſuis reſponſis 1. p. q. 306.* Et loquuntur ambo de omnibus ſubditis. *Manuel* loquens de prælatis *2. tomo ſumm. c. 89. num. 8.* Ejuſdem ſententiæ eſt apertè *Abb. c. Scriptura n. 7. de voto*, ubi etſi loquatur de ſolis impuberum votis, dicens ea à patre irritata non reviviſcere: id tamen probat ex *cap. Quidam & c. Placet, de conuerſ. conjugat.* ubi vir reuocatus à religione per uxorem, non tenetur ea mortua redire: & ita clarè ſentit idem in votis conjugum. Ejuſdem eſt apertè *Toledo lib. 4. ſumm. cap. 18. num. 9. verſic. Irritare*, ubi hæc ait: *Irritare eſt annullare votum, & facere, ut non ſit obligatorium, nec votum: quomodo pater filiorum vota irritare poteſt, ut ſuperiùs diximus, & prælatus vota inferiorum, dominus ſeruorum, & vir uxoris, & è contra.* Qui *num. 7.* dixerat poſſe patrem irritare vota perſonalia uſque ad pubertatem: & realia uſque ad annum. Ejuſdem videtur *Ouandus 4. dict. 38. diſput. unic. propoſitione 19.* ubi hæc ait: *Vota filii, in quo ſubjicitur patri, poteſt pater irritare, ideſt, annullare: ſimiliter vir vota uxoris: eadem eſt ratio de monacho, & prælato, de monialibus, & abbatiſſa.* Ejuſdem videtur clarè *Petrus de Ledeſma 2. tomo ſumm. tractatu 10. capite 7. dubio 2. circa primam concluſionem, dict. 4.* nam poſtquam explicuerat omnes ſuperiores potentes vota irritare ſubditorum, addit

addit hæc verba. *Irritar el voto en neuſtro propoſito, es caſſarle, y anularle, y quitar de todo punto ſu obligacion.* Et hæc ſententia eſt etiam frequentiſſimo Neotericorum conſenſu recepta. Et expreſsè loquens de omnibus docet *Sayro in clavi regia, lib. 5. c. 8. n. 6. verſ. Illud autem.* Atque expreſsè loquens de votis ſervorum irritatis a domino, tenet ea non reviviſcere *idem Sayro eodem c. 10. n. 18.* Quid autem de votis emiſſis in tempus libertatis, aut abſolutè toto tempore vitæ dicemus *c. 29. n. 3. & 4. 5. 6. & 7.* & expreſsè loquens de votis irritatis a viro, & patre, tenet non reviviſcere *Pedraza in ſummæ, præcepto 1. §. 8.*

5 Poſterior regula eſt. Quando vota non habent imbibitam conditionem pendentem ex ſuperioris voluntate, ut contingit quando ante ſubjectionem fiunt, tunc ſubjectione ſequenti nequeunt verè irritari, ita ut non reviviſcant, ſed tantum ſuſpendi. Conſtat ex dictis *num. præced.* cum enim tota ratio, & fundamentum poteſtatis veræ, & directæ irritationis, ſit vota ſubditorum ratione conditionis in ipſis imbibitæ eſſe conditionalia, quando vota non ſunt conditionalia, utpote ante ſubjectionem facta, non poterunt verè irritari, ſed tantùm ſuſpendi, quatenus ſubjectioni ſubſequenti præjudicant. Et confirmatur, quia tunc nec actus liber, quo votum emiſſum eſt, ſubjacet ſuperiori, nec poteſt modò ſubdi, nec etiam materia illa Deo conſecrata per votum, ſubjacet ſimpliciter huic ſuperiori ſubſequenti: ergo nullatenus poteſt ſuperior hic id votum verè irritare. Antecedens probatur quo ad actum liberum. Quippe eſt omnino præteritus, & Deo per votum dicatus, independenter a ſuperioris conſenſu, eò quòd tunc non erat ſubjectio illi. Nec etiam poteſt modò ſubdi. Quia ad præteritum non eſt potentia: nec ſubdita perſona ſubduntur ejus actus præteriti, cum jam tranſierint. Dices, vinculum voti, & obligatione eſſe præſentia. Reſpondeo, cum tale votum ſequatur naturaliter, & intrinſecè ex actu promiſſionis, nulla ratione poſſe ſuperiorem hoc nomine votum perfectè irritare, niſi habeat, vel habuerit dominium in illum actum. Quòd autem tunc non ſimpliciter materia ſubdatur ſuperiori, probatur. Quia cum priùs eſſet obligata Deo, qui jus in illam acquiſierat, non poteſt plenè, & omnino ſubdi alteri. Qui Doctores hanc regulam ſequantur, & qualiter procedat in ſingulis perſonis poſtea ſubjectis poteſtati dominativæ, dicemus *c. 31. per totum*, ubi latè de ſingulis agemus, & explicabimus, an in aliquo caſu deficiat hæc regula, & an procedat, quando vovens tempore voti erat ſubjectus alicui habenti poteſtatem dominativam, & volens irritare eſt alter ſuperior habens ſimilem, aut diverſam poteſtatem dominativam, dicemus *c. 28. per totum.*

6 Ex his deducitur, quid ſentiendum ſit de votis Epiſcoporum, quæ poſſe Pontificem irritare, diximus *c. 24. n. 19. & c. præcedenti n. 38. 39. & 40. Suarez tom. 2. de religione, tractatu de voto, lib. 6. c. 1. n. 5. & c. 2. n. 7.* dicit eam non eſſe irritationem directam, veram, ſed ſolam ſuſpenſionem, & ita dicit ea vota reviviſcere, ſi poſtea Epiſcopatui renuntient, aut eo deponantur, & ſic teneri tunc ingredi religionem, vel longam peregrinationem exequi, quæ antea voverant, & Pontifex vota irritarat. Sed loquitur conſequenter ad ſuam ſententiam, quam ex ipſo retulimus *n. 3.* & *Cajetanus*, quem pro ſe allegat, id non dicit. At favent illi *Paludan. 4. diſtinct. 38. q. 4. art. 2. n. 21. & ibi Supplementum Gabrielis q. 1. art. 5. poſt 3. concl. verſic. Primò Epiſcopus, D. Anton. 2. p. tit. 11. c. 2. §. 6. verſic. Primò ergo*, ajunt enim Papa denegante licentiam Epiſcopo implendi voti religionis, aut votum irritante, excuſari illum ratione impotentiæ implendi, atque ita clarè videntur ſentire non eſſe veram irritationem, ſed ſolùm ſuſpenſionem, dum ea impotentia durat. At exiſtimo eſſe veram irritationem, ac proinde vota ſic irritata numquam reviviſcere. Probatur ex priori regula tradita *n. 4.* hæc enim vota continent implicitam conditionem, pendentem a Pontificis voluntate. Atque ita tenet *Abulenſis c. 30. num. qu. 67.* ubi loquitur de voto magnæ peregrinationis emiſſo ab Epiſcopo, & *q. 68.* ubi loquitur de voto religionis emiſſo ab eodem. Et expreſsè *Angelus verbo Votum 2. num. ult.* videtur hoc tenere, nam latè tractaverat, nec Epiſcopos, nec beneficium habentes poſſe aliquid in præjudicium Eccleſiæ vovere, abſque licentia Pontificis, & Epiſcopi, nec uxores, nec filios, nec ſervos, & poſtea *eo num. ult.* dicit generaliter vota patientium prædicta impedimenta, ſemel irritata numquam reviviſcere. Et ferè expreſsè tenet *Cajetanus in ſumma verbo Votum, c. De quatuor conditionibus ex parte voventis §. Imperfectio autem ætatis*, ubi tractans de conditionibus imbibitis in votis ſubditorum ait, quando votum eſt de re prohibita, denegante ſuperiore licentiam, eſſe irritum, affert exemplum his verbis: *Ut ſi Epiſcopus voverit ingredi religionem, ſubintelligitur, ſi Papa placet, unde tenetur requirere, ſi Papa placet, ut impleat votum: ſi placet, tenetur implere, ſi non, irritum eſt votum.*

7 Atque ſimiliter dicendum eſt vota clericorum habentium beneficium, quæ irritari poſſe ab Epiſcopo diximus *c. 24. n. 21. & c. præc. n. 44.* verè irritari, & ita numquam reviviſcere. Quia claudunt tacitam conditionem, *ſi Epiſcopo placuerit*. Et ita videtur clarè tenere *Angel. num. præcedenti* relatus, ubi verba ejus ponderavimus. Et tenet expreſsè *Abulenſ. c. 30. num. q. 71.* loquens de beneficiario, qui vovit longam peregrinationem. Quamvis ea reviviſcere teneat *Suarez eodem lib. 6. c. 2. n. 8.* Sed, ut dixi *n. præced.* loquitur conſequenter ad ſuam ſententiam.

8 In ſpecialibus autem caſibus, quando vota irritata reviviſcant, tamquam ſolùm ſuſpenſa, aut non reviviſcant, tamquam verè irritata, dicemus in ſingulis capitibus hujus tractatus de irritationibus, de quibus, in ſingulis tractatum fuerit, tantùm enim hìc intendimus regulas generales ſtatuere, ad quas confugiendum eſt.

9 Ad argumenta contraria, *n. 3.* propoſita reſpondetur. Ad primum neganda eſt minor, nam cum tunc ſuperior ſit dominus illius materiæ, & voluntatis quo ad illam, nec expreſsè promittatur in tempus ſolutæ ſubjectionis, habet tacitam conditionem, *ſi ſuperiori placuerit, aut non contradixerit*. Quare ſuperiore auferente conditionem, perit omnino votum. Ad primam confirm. dic, eſſe latum diſcrimen, quia in eo caſu, cum ſuperior ſit inſciùs voti, quando denegat licentiam, non utitur tota ſua poteſtate circa illud, voluntas enim non fertur ad incognita, at quando eſt voti conſcius, utitur tota ſua poteſtate. Ad aliam confirmationem dic id damnum non eſſe adæquatam rationem hujus irritationis perfectæ, ſed conditionem imbibitam in his votis, quæ auferri poteſt abſolutè a ſuperiore, quamvis damnum ſit radix conditionis hujus incluſæ, & ſic irritatio pendet a damno in fieri, non autem in conſervari. Ad ſecundum concedendum eſt eos ſubditos eſſe liberos ad vovendum in materia accommodata, & ipſis libera; at neganda eſt conſequentia inde illata. Antecedens enim, ex quo infertur, nil facit ad rem, poteſtas enim irritandi minimè innititur ſubjectioni ſpirituali, ſed dominativæ, aliàs idem antecedens concluderet, nec patrem poſſe vota impuberis verè irritare. Poteſt etiam dici ſubjici in ſpiritualibus, quatenus ea exercere obeſt poteſtati dominativæ. Ad ultimum dic, ſervum in obligationibus erga Deum contrahendis, quando eæ præjudicant domino, pendere jure ſervitutis a conſenſu domini, & ratione illius habere imbibitam conditionem, quæ pendet ex domini voluntate, & ideò poteſt dominus auferendo conditionem, caſſare omnino voti obligationem.

CAPUT XXVII.

Qualiter ſuperioribus fungentibus dominativa poteſtate, ſit integrum vota emiſſa ex eorum licentia irritare?

SUMMARIUM.

An licentia vovendi poſſit revocari ante votum emiſſum? num. 1.
Quid, ſi eam licentiam conceſſerat ſuperior volentis revocare, aut præceſſor æqualis? num. 2. Et ibi, an poſſit inferior ſuſpendere uſum hujus licentiæ, & tunc emiſſum cenſeatur abſque licentia factum?
Quid, ſi votum eſt emiſſu, & res promiſſa tradita? num. 3.
Quid, ſi voto emiſſo nondum eſt res promiſſa tradita, & revocare volens eſt inferior ſuperiore, qui illam conceſſit? num. 4.
Quid, ſi ſuperior concedentis vult revocare? num. 5.
Quotuplex quæſtio diſputanda ſit? num. 6.
An idem ſuperior, qui licentiam conceſſit, poſſit validè revocare, irritando votum virtute illius emiſſum, quando res non eſt tradita? Refertur duplex opinio, num. 7. & 8.
Prælatus religionis poteſt validè id votum de licentia ſua emiſſum irritare; nec peccat ſubditus id non implendo, num. 9.
Votum ſic irritatum non reviviſcit, num. 10.
Quid de votis ab uxore emiſſis ex viri licentia? num. 11.
Quid de votis, quæ uxor irritare poteſt, an poſſit, ſi de licentia illius emiſſa ſint? num. 12.
Quid de votis caſtitatis ab utrovis conjuge, de licentia alterius, aut communi conſenſu emiſſis? Remiſſivè num. 13.
Quid de votis ſervi emiſſis ex licentia domini? num. 14.
Quid de votis puberum emiſſis ex licentia patris, vel curatoris? num. 15.
An in prædictis caſibus ſit irritatio directa, ita ut vota non reviviſcant? num. 16.
Quid de votis impuberum emiſſis ex licentia patris, vel tutoris? Refertur quædam ſententia, num. 17.
Explicatur ſententia Auctoris, num. 18.
An ea ſit irritatio directa, ita ut votum non reviviſcat? numer. 19.
An hæc vera ſint, quamvis vota de licentia ſuperioris emiſſa ſint in tempus ſolutæ poteſtatis illius? num. 20.
An ſint vera, ſi ſuperior dicat ſubdito, ſe dare illi licentiam irrevocabilem, & conſtituere eum dominum illius materiæ? num. 21.
An prædicta verum habeant in promiſſione facta homini ex ſuperioris licentia? Refertur quædam ſententia, num. 22.
Explicatur ſententia Auctoris, num. 23.
Solvuntur argumenta, num. 24.
Poſt num. 24. invenies alia ſummaria.

1 QUæſtio hæc in triplici ſtatu diſcuti poteſt. Primus eſt, quando res eſt omnino integra, quia, nimirum, nondum inferior uſus eſt licentia vovendi, & tunc manifeſtum eſt poſſe ſuperiorem revocare li-

centiam, ſicut poteſt quamlibet aliam aliquid faciendi. Quòd tunc nulli jus acquiſitum eſt. Ita *D. Bonav. 4. d. 32. in expoſitione litteræ num. 4. Ricard. ibi art. 2. q. 2. corpore, Palud. quæſt. 2. art. 2. numero 18. Roſella verb. Votum 3. num. 2. Sayro in clavi regia l. 6. c. 10. num.* 12. Temperant *Ricard. & Palud.* quando licentia privatim concesſa eſt, ſecùs ſi publicè. At meritò id reprobat *Roſella*, quia in neutro caſu eſt jus acquiſitum, ſed manet res omnino integra. Exiſtimo tamen fore culpam venialem, ſi nulla ductus cauſa; ſed omnino ad libitum revocaret. Quia deſiſtere à bono incœpto, & ab illa licentia oblata Deo, cooperando ad votum, eſt vituperabile, quando omnino abſque cauſa fit. Quod à contrario ſenſu colligitur ex *Sayro ibidem*, ait enim non peccare revocando ex juſta cauſa. At modicam cauſam exiſtimo ſatis eſſe ad liberandum ſuperiorem hac culpa.

2 Hoc tamen intellige, quando idem ſuperior, vel æqualis ſucceſſor eam licentiam revocat. Quia ſi eam conceſſiſſet ſuperior volentis revocare, non teneret revocatio. Cum inferior geſta à ſuperiori retractare nequeat. At poteſt hic ſuperior interdicere ſubdito uſum illius licentiæ, ex aliqua juſta cauſa, donec ſuperiorem, qui licentiam dedit, certiorem faciat de cauſis ejus licentiæ revocandæ. An verò ſi tunc ſubditus non obſtante hac ſuſpenſione, ſeu præcepto votum emittat, dicatur factum ex licentia ſuperioris? Videtur ſic factum, quamvis hic peccarit contra ſuperioris præceptum, quia cum ea licentia nondum revocata ſit, videtur ſuam vim retinere. Ex alia parte urget, quòd ſuperior potuerit uſum ejus licentiæ ſuſpendere, ac proinde durante ſuſpenſione videtur quaſi non eſſe ea licentia. Sicut quando ſuperior nequiens irritare, ſed ſuſpendere voti obligationem, eam ſuſpendit, quamvis ea extincta non ſit, at durante ſuſpenſione perinde eſt, ac ſi non eſſet, & ita pro tunc vires obligandi non habet. At res hæc pertinet ad *lib.* 7. hujus tractatus, ubi de voto paupertatis agetur: *ibi* enim diſputabitur, an ſit contra votum paupertatis diſtribuere aliquid virtute ejus licentiæ ſuſpenſæ per inferiorem.

3 Secundus ſtatus eſt, quando & votum eſt emiſſum, & executioni mandatum, tradendo rem promiſſam, & tunc manifeſtum eſt nullam eſſe in ſuperiore qualicumque poteſtatem revocandi. Quia ideò dicunt Doctores, ut videbimus *num.* 9. integrum eſſe ſuperiori licentiam revocare, quia ante traditionem manet adhuc dominus rei promiſſæ. At traditione facta, eſt jam translatum dominium in alterum, *l. Traditionibus* 20. *C. de pactis*.

4 Ultimus ſtatus eſt, quando votum emiſſum eſt, at res promiſſa nondum eſt executioni mandata. Et in hoc ſtatu procedit quæſtio præſens. Atque tunc ſi votum factum eſt ex prælati ſuperioris licentia, nequit prælatus inferior licitè, nec validè revocare, ſeu irritare. Ut ſi Provincialis conceſſit licentiam, & velit ſuperior localis votum id irritare. Quòd inferior nequeat geſta ſuperioris revocare, utpote qui ipſum nullam poteſtatem habet. Ita docent *Ricardus 4. d. 38. art. 4. q. 3. Angles floribus 2. p. q. unica, de voto, artic. 7. diffic. 6. Manuel 2. tomo ſummæ c. 89. nu. 7. Suarez tomo 2. de religione, tractatu de voto, lib. 6. c. 8. num.* 2. At poterit hic prælatus inferior ſuſpendere ex juſta cauſa executionem illius voti. Quia quamvis careat poteſtate dominativa ad illud irritandum, non tamen tollitur omnino ſubjectio, ut ex cauſa occurrente nequeat ſuſpendere, idque recta gubernatio poſtulat.

5 Si autem id votum emiſſum eſt de prælati inferioris licentia, poteſt à prælato ſuperiori irritari, perinde ac ſi abſque licentia factum eſſet. Conſtat, quia tam in voluntatem ſubditi, quàm ſuperioris licentiam concedentis poteſtatem habet, & utriuſque vota irritare poteſt: unde etſi id votum ſit legitimè factum, non eſt omnino abſolutum, ſed pendens à voluntate ſuperioris prælati, & habet imbibitam conditionem, *niſi ille contradixerit*. Præterea, quia ſuperior non irritat, quatenus id votum ab illius prælati inferioris voluntate pendebat, ſed quatenus à ſua, qua liberè irritare poterat, nec voluntas inferioris prælati poteſt ſuperioris poteſtatem coarctare. Ita *Ricardus, Angles, Suarez n. 3. Manuel*, ubi eos *num. præc.* retuli, *Ovandus qu. d. 38. diſputat. unicæ, propoſitione* 19.

His tamquam certis præmiſſis, tota difficultas eſt de eodem ſuperiore, qui licentiam conceſsit, & de æquali ſucceſſore. Atque ut clariùs procedamus, quadruplex eſt quæſtio diſputanda. Prima eſt, an ſuperior dans licentiam poſſit validè revocare licentia illa votum emiſſum, nondum tamen executioni mandatum. Secunda, an poſsit licitè? Tertia, an ſucceſſor æqualis poteſtatis poſsit validè, & licitè. Ultima, quando dicatur votum ex ſuperioris licentia emiſſum?

7 Quæſtio prima. An ſuperior, qui vouendi licentiam conceſsit, poſsit votum virtute illius emiſſum, nondum tamen executioni mandatum, validè irritare, perinde ac poſſet, ſi abſque licentia factum eſſet? *Ricardus 4. d. 38. art. 4. q.* 3. loquens de prælatis religionis eam poteſtatem eis denegat, imò de poteſtate diſpenſandi dubitat. Atque à fortiori eam irritandi poteſtatem denegaret, quibuſcumque aliis fungentibus poteſtate dominatiua, in nullis enim ita clara eſt hæc irritandi poteſtas, ac in ſuperioribus religionis, & rationes, quibus innititur, id apertè in omnibus probant. Ducitur primò, quia ad omnimoda voti ſubditorum firmitatem, nil deſideratur præter ſuperioris conſenſum. Ergo illo accedente manet firmum, & irrevocabile. Et confirmatur, quia fundamentum poteſtatis irritandi vota eſt conditio imbibita in ipſis, *ſi ſuperior conſenſerit, aut non contradixerit*. Ut probavi *cap. præcedenti num.* 4. At in votis emiſsis ex ſuperioris licentia, nulla eſt conditio, ſed ſunt abſoluta, cum poſita ſit jam conditio, à qua pendebant. Nulla ergo ſupereſt irritandi poteſtas. Secundò, quia licentia ſuperioris concedit ſubdito dominium, & quaſi poſseſſionem actionis illius, ad quam eſt data licentia, cum jam virtute illius votum emiſerit. Tertiò, quia promiſsio facta homini, & ipſi intimata ex ſuperioris licentia nequit validè à ſuperiore revocari, propter jus homini acquiſitum. Ergo nec facta Deo, quia cum ſtatim ſit ipſi cognita, & ab eo acceptetur, acquirit idem jus. Tandem, quia ſuperior irritans votum, præcipienſque ſubito, ne impleat, eſt culpæ reus. Ergo illi non eſt audiendum, tamquam malè præcipienti.

8 Alii ſoli prælato religionis hanc poteſtatem concedunt. Ita *Philiarcus de officio ſacerdotis, tomo 1. p. 2. l. 3. c. 4. §. Sed major difficultas*. Id autem probat, quòd nullus ſuperior dominativa poteſtate præditus excepto prælato regulari, gaudeat ſimul poteſtate ſpirituali. Addit autem eum, cui votum irritatur, teneri obedire. Sed fundamentum ejus nil probat, ad irritandum enim nil confert poteſtas ſpiritualis.

9 Prima tamen concluſio ſit. Prælatus religionis, qui licentiam vouendi conceſsit ſubdito, poteſt validè votum virtute illius emiſsum, nondum tamen executioni mandatum, irritare ad licitum, perinde ac ſi abſque licentia emiſsum eſset, & ſubditus minimè peccat id votum poſtea non exequendo, ſive ſuperior irritando peccarit, ſive non. Probatur primò ex loco *Num.* 30. quem *num.* 11. ponderabimus pro votis uxoris emiſsis ex licentia viri, fortiùs enim procedit in religioſis, cum illorum ſubjectio ſtrictior ſit. Præterea, quia ſuperior concedens eam facultatem, non abdicat à ſe dominium illius voluntatis ſubditi, & rei promiſsæ offerendæ per voti executionem. Ergo tamquam dominus retinet adhuc poteſtatem irritandi. Antecedens probatur, quia cum poſsit poſtea ad ſubditi bonum expedire irritatio facta à ſuperiore, tamquam domino, & ne litigia inter ipſum, & ſubditum oriantur, cenſendus eſt ſuperior in ea licentia, minimum quod poteſt, cedere jure ſuo, & ſic ſolam facultatem concedere, ut ſubditus voluntate propria utatur re, vouendo, & exequendo votum. Quod abſque dominii translatione fieri poteſt. Et confirmatur, quia licentiam concedendo non facit ſubditum ſui juris, ſed ſolùm concedit illi, ut operetur, & ſe obliget, ſemper tamen dependenter à ſuperioris voluntate, & ea conditione imbibita in votis, *niſi ſuperior contradixerit*, ſemper enim vult manere ſuperior; & ideò jus non abſolutè, ſed ſub ea conditione acquiritur Deo. Et ideò præter Doctores, *num.* 11. referendos, qui in votis uxoris de licentia viri emiſsis loquuntur, qui a fortiori idem ſentiunt in religioſis, tenet *Angel. verb. Votum 2. num. 10. Cajet. 2. 2. q. 88. art. 8. dub. 2. Sotus lib. 7. de juſt. quæſt. 3. art. 1. col. 9. verſ. Majori autem, Navarr. ſumma Latina, & Hiſpana c. 12. n. 37. Palacios 4. d. 38. diſp. 3. f. 872. col. 2. verſ. Porrò autem, Philiarcus* relatus *num. præced. Leonardus lib. 2. de juſt. c. 40. dub. 10. n. 75. Manuel 2. tomo ſummæ c. 90. nu. 5. Azor. tom. 1. inſtitut. moralium lib. 11. c. 17. q. 6. Valentia 2. 2. diſp. 6. q. 6. puncto 6. q. 3. Aragon. 2. 2. q. 88. art. 8. poſt. 6. concluſionem, verſic. Eſt & aliud dubium, fol. 1019. & triplici columna ante finem, verſic. Dico tertiò, Petrus de Ledeſma 2. tomo ſummæ, tractatu 10. cap. 7. dubio 2. in difficultate quaa mouet circa quartum dictum, Suarez tomo 2. de religione, lib. 6. cap. 8. à num. 4. uſque ad 7. Emmanuel Sà in ſumma, verb. Votum, ubi de voti irritatione n. 2. Llamas in methodo curationis 3. p. c. 4. §. 43. Corradus in ſuis reſponſis 1. p. quæſt. 303. Vega 2. tomo ſumm. c. 129. caſu 91. Sayro in clavi regia, lib. 6. c. 10. num.* 12. Et id clarè ſupponit *Sylveſt. verb. Votum 4. quæſt. 2. dicto* 6. ubi cum præmiſiſſet poteſtatem irritandi competere prælatis reſpectu religioſorum, viro reſpectu uxoris, patri, tutori, & curatori reſpectu impuberum, & puberum, ait in *eo dicto ſexto*, prædictos ſuperiores non peccare irritando ex juſta cauſa, vota, in quæ conſenſerant; ac proinde ſupponit irritandi poteſtatem.

10 An verò hæc irritatio ſit directa, & propria, dicemus *num.* 19.

11 Secunda concluſio. Vir quoque ſimiliter irritare vota, quæ uxor ex ſua licentia emiſit, poteſt, dum executioni mandata nondum ſunt, nec tunc uxor ea non implens peccat. Probatur ex *c.* 30. *Num.* ibi *Si audiens vir tacuerit, & in alteram diem diſtulerit ſententiam, quidquid voverat, atque promiſerat, reddet. Si autem contradixerit, poſtquam reſcivit, portabit ipſe iniquitatem ejus*. Ubi quamvis non dicat expreſsè Scriptura, uxorem eſſe culpæ immunem, dum viro contradicente non ſeruat votum tacitè id ſignificat teſte *Cajet. ibi*, dum ait culpam uxoris redundare in virum. Et ita intelligunt eum locum *D. Auguſt. lib. 4. q. 59. in Num.* & refertur *c. Manifeſtum 33. q. 5. & D. Ambroſ. lib. de paradiſo c.* 10. & refertur, *c. finali 33. q. 5. & Gloſſa ordinaria in eumdem locum Num. 30. ad finem, & ibi Hugo litera K.* & multi alii, quos retuli *lib. 9. de matrim. diſp. 40. n.* 4. Et conſtat ex rationibus traditis *n.* 9. quæ æquè in caſu procedunt, & ſimiliter manent hæc vota pendentia a conſenſu viri. Et eam tenent omnes Doctores *ibi* relati præter *Philiarcum*. Et ultra illos eam docent *Innocent. c. Scriptura, ad finem, de voto, Major. in 4. d. 38. q. 4. dub. qui poſſint vovere, verſic. Quarta perſona, Roſella verb. votum 3. n. 2. Armilla verb. Votum n. 12. Angles floribus 2. p. q. unica de voto, art. 7. poſt 9. difficultatem dubio 1. Sayro in clavi regia, lib. 6. c. 10. n. 19. in fine, Suarez tomo 2. de religione, tractatu de voto, lib. 6. c. 4. n.* 19.

12 Tertia concluſio. Uxor ſimiliter poteſt irritare vota viri ex licentia ſua facta, quæ poſſet, ſi abſque ejus licentia fierent. Quæ autem ſint hæc dicemus inferiùs in ſpeciali capite de hac re. Conſtat ex rationibus traditis *n.* 9. Quippe ea licentia non aufert priſtinum materiæ promiſſæ dominium, nec vota manere adhuc conditionalia. Et ita docent *Innocent. c. Scriptura ad finem, de voto, D. Antonius 3. p. tit. 1. cap. 22. §.* 1. Et videntur tenere *Sotus 4. d. 27. quæſt. 1. art. 4. verſic. Id autem; & Bartholomæus de Ledeſma de matrim. dub. 20. concluſ.* 1. uterque enim indiſtinctè ait conjugem concedentem licentiam vovendi poſſe revocare.

13 Utrum verò hoc procedat in voto caſtitatis emiſſo ab altero conjuge de alterius licentia, aut ab utroque, communi conſenſu emiſſo, dicemus *cap. 34. a num. 14. uſque ad* 17.

14 Quarta concluſio. Idem prorſus dicendum eſt de votis emiſſis à ſervo de domini licentia, poteſt enim dominus ea irritare non minùs, quàm poſſet ſi eam licentiam non conceſſiſſet. Conſtat ex rationibus traditis *nu.* 5. quæ æquè militant in hoc caſu. Et tenent in propriis terminis *Angelus & Vega ibi* relati. Atque expreſsè ſunt ejuſdem ſententiæ *Cajet. Navarr. Valentia, Leonardus, Emmanuel Sà, Llamas, Corradus ibi* relati: de ſubditis enim dominativæ alterius poteſtati loquuntur indiſtinctè; & ſolum caſum pupilli voventis ex licentia patris excipit *Leonardus*, de qua exceptione agemus *num.* 17. & 18.

15 Quinta concluſio. Idem prorſus eſt dicendum de votis realibus emiſſis a filio pubere, quæ poſſunt pater, & curator irritare, potuerunt enim eodem modo, ſi de licentia eorum ſint emiſſa. Quia militant eædem rationes. Et ſic tenent Auctores, quos *n. præced.* retuli, quatenus indiſtinctè loquuntur de ſubditis. Et *Cajet. eo art. 8. dub. 2. verſic. Et per hoc patet, Aragon. Manuel, & Vega*, ubi eos retuli *n.* 9. indiſtinctè hoc tenent in votis filiorum, & *Sylveſt.* ut eum ponderavi *nu. 9. in fine*. Et *Suarez tom. 2. de religione tractatu de voto lib. 6. c. 5. n.* 12. ubi ait idem dicendum de poteſtate irritandi voti realis emiſſi a pubere ex patris licentia, quod dixerat de votis uxoris emiſſis ex viri licentia; quæ poſſe a viro irritari dixerat *eodem lib. 6. c. 4. n.* 16.

16 An verò in omnibus his caſibus ſit directa, & propria irritatio, ac proinde ea vota numquam reviviſcant, dicemus, *num.* 9.

17 At de votis impuberis emiſſis ex licentia patris eſt ſpecialis difficultas, an ea poſſint a patre irritari? Id negant *Suar. lib. 6. c. 8. n. 7. in fine, & Leonard. lib. 2. de juſt. c. 40. dub. 10. n.* 55. Cui conſonat doctrina, quam ex *Sayro, & Philiarco*, referemus *c. 30. n.* 35. Ducuntur autem, quòd in impuberibus voluntas patris ſolùm deſideretur ob prudentem voti emiſſionem, quæ per unicam confirmatur approbationem, & ideò ampliùs non pendet votum a patre. Limitat autem *Suarez*, niſi fortaſſe, quando in ipſa approbatione manifeſtus eſſet error commiſſus; quòd inquit eſt per accidens, & incertum. Et quamvis non exprimant, quando ex licentia tutoris id votum eſt emiſſum; at idem procul dubio ſentiunt, quia ſua ratio in hoc quoque caſu militat, & tutor patris vice fungitur.

18 At hoc non mihi perſuadeo, ſed exiſtimo ea quoque vota poſſe irritari a patre, vel tutore. Ducor, quia etſi imprudentia in vovendo ſit radix dominii, quod pater habet in voluntatem impuberis, ut ejus vota irritare poſſit; at poteſtas hæc non pendet in conſervari ab ea imprudentia. Quippe aliàs non poſſet pater irritare, quoties ſapientiſſimorum virorum conſilio impubes voveret. Præterea, quia licentia patris non omnino ſupplet fragile impuberis judicium. Ut conſtat in hoc exemplo; minoribus conceditur reſtitutio, ut proſpiciatur infirmo, & fragili eorum conſilio *lib. 1. ff. de minoribus*, ibi: *Cum inter omnes conſtet fragile eſſe, & infirmum hujuſmodi ætatum conſilium, & multis captionibus ſuppoſitum, multiſque inſidiis expoſitum, auxilium eis prætor hoc pollicitus eſt*. At auctoritas curatoris, & interventio judicis non perfectè hoc imbecille judicium ſupplet, ne liceat beneficium reſtitutionis ei petere. Ut textibus & Auctoribus citatis probavi *lib. 6. de matrimon. diſp. 38. num.* 11. Quòd procedit, etiamſi pater ipſe ſit tutor pupilli. Ut expreſsè habetur *l. Etiamſi patre 30. ff. de minorib.* Imò etiamſi pater ſit curator ipſius minoris emancipati. Ut optimè *Greg. Lop. lib. 2. verb. de ſu guardador, tit. 19. p.* 6. Tandem, cuia non video, cur in ſolo puero per eam licentiam abdicet pater a ſe dominium, & votum deſinat eſſe conditionale; cum rationes *num.* 9. adductæ contrarium probent. Et ideò hujus ſententiæ ſunt Auctores, quos *num.* 15. retuli, quatenus indiſtinctè de votis ſubditorum, & aliqui ex illis indiſtinctè de votis filiorum id aſſerunt. Et expreſsè de tutore tenet *Angelus verb. Votum 2. n. 10. & Syl.* ut eum ponderavi *n. 9. in fine*.

19 Sed dubitatur, an in prædictis omnibus caſibus numeratis a *num.* 9. uſque ad hunc, ſit vera, & directa illorum votorum irritatio? *Suarez tom. 2. de relig. tract. de voto, lib. 6. cap. 8. nu.* 7. fatetur irritationem votorum religioſi ex licentia ſuperioris factorum eſſe directam, ac ſubinde numquam ea reviviſcere. De pupillo autem negat, ut retulimus *num.* 17. & improbavimus *n. præced.* de aliis autem ſubditis dicit eſſe indirectam. & ita vota reviviſcere. Quia etiam, quando ſunt emiſſa abſque licentia, negat in omnibus illis irritationem directam. Ut ex ipſo retulimus *c. præced. num.* 3. Cæterum inhærendo regulæ, quam *c. præced. nu.* 4. tradidimus, dicendum eſt, eſſe irritationem directam in omnibus dictis caſibus, ita ut numquam reviviſcant. Quia ratione conditionis imbibitæ in horum votis, quando abſque licentia fiunt, probavimus *ibi* poſſe ea directè irritari, ut numquam reviviſcant. At eadem conditio, *niſi ſuperior contradixerit*, imbibitur in illis, quando ex licentia ſuperioris fiunt. Ut probavimus *num.* 9. Ergo poſſunt quoque directè irritari. Et confirmatur, quia licentia nullatenus poteſtati ſuperioris derogat, quo ad poteſtatem validè irritandi. Ut *num. 9. & ſeqq.* probavimus. Ergo ea non obſtante poſſunt validè irritari, perinde ac ſi eſſent emiſſa abſque licentia. Et ita videtur apertè ſentire *Cajet. 2. 2. qu. 88. art. 8. dub. penult.* nam in dubio præcedenti ſubſtinuerat vota emiſſa à ſubditis de licentia ſuperioris poſſe ab illo irritari; & ſtatim *dubio illo penultimo* quærit, an vota ſubditorum irritata reviviſcant, & reſpondet negativè, & *Sot. lib. 7. de juſtit. q. 3. art. 1. col. 9. verſic. Majori autem*, ubi loquens de voto uxoris emiſſo ex viri licentia, & poſtea irritato a viro, dicit illud caſſatum manere. Et *Manuel 2. tomo ſummæ c. 90. n.* 5. ubi ait non eſſe minorem poteſtatem viro ad irritanda vota, quæ uxor ex licentia ſua emiſit, quàm patri reſpectu filiorum, & prælato reſpectu religioſorum. Et in propriis terminis loquentes de uxore, tenent *Armilla verb. Votum num. 12. Angles floribus 2. p. q. unica de voto, art. 7. poſt 9. diffic. dub. 1. Sayro in clavi regia, lib. 6. c. 10. n. 13. in fin.* Atque *idem Sayro ibi n. 19. in fine* ait, non eſſe minorem poteſtatem in viro irritandi validè ea vota, quàm emiſſa abſque licentia.

20 Quod quidem verum eſt, quamvis vota de licentia ſuperioris emiſſa ſint in tempus plenæ libertatis. Quando enim hæc emiſſa abſque licentia poſſunt propriè, & directè irritari, de qua re agemus in ſpeciali capite de hoc, poſſunt ſimiliter irritari, quamvis ex ſuperioris licentia fiant. Quod ex dictis ſatis conſtat, cum licentia hæc nullatenus minuat poteſtatem validè irritandi.

21 Demum ſupereſt duplex difficultas. Prior eſt, an ſi ſuperior dicat ſubdito, ſe illi concedere facultatem irrevocabilem, ſeque illum eximere a ſua poteſtate, quo ad rem illam promiſſam, poſſit adhuc validè irritare? Qua in re ſic diſtingnendum cenſeo. Si ſit prælatus reſpectu religioſi, poteſt adhuc irritare qualecumque votum ſit illud. Quia non poteſt abdicare a ſe dominium voluntatis religioſi. Ut benè tradit *Suarez tom. 2. de relig. tract. de voto, lib. 6. c. 8. nu.* 6. Hoc enim repugnaret ſtatui, & obedientiæ religioſæ; nec poteſt etiam concedere illi liberam bonorum adminiſtrationem, & independentem a voluntate ſuperioris: id enim paupertati religioſæ repugnat. Idem dicendum eſt de patre reſpectu filii impuberis. Nam ob ætatis imbecillitatem nequit ſimiliter a ſe abjicere curam, & gubernationem voluntatis illius. Idem dicendum eſt de marito reſpectu votorum perſonalium uxoris. Quia, ut optimè ait *Suarez eod. lib. 6. c. 4. n. 19. ad finem*, maritus nequit a ſe abdicare poteſtatem gubernandi uxorem. Idem, quo ad vota realia uxoris, nequit enim bonorum adminiſtrationem concedere uxori independenter a ſua voluntate. At contrarium cenſeo, quo ad vota realia puberum, quæ ſola pater irritare poteſt, & quo ad omnia ſervorum. Quia poteſt liberam bonorum adminiſtrationem concedere filio, remittendo ei uſumfructum bonorum adventitiorum *l. Cum oportet, C. de bonis quæ liberis*, atque a fortiori poterit illius partis, cujus promittendæ tam amplam licentiam confert; Idque ea verba ſonant. Similiter nec perſonalia, nec realia ſervi vota ea licentia emiſſa, poterit irritare. Quia poteſt dominus omnino donare libertatem ſervo, & proinde a fortiori circa illam materiam. At eſto ſit translatum dominium, poteſt ſuperior ex cauſa juſta irritare non tamquam auferendo, quod ſuum eſt, ſed quod eſt proprium ſubditi. Ut benè docet *Valent. 2. 2. diſput. 6. q. 6. punct. 6. q.* 3. at benè addit tunc non valere abſque cauſa.

22 Poſterior difficultas eſt, an idem quod diximus in votis, procedat in promiſſione humana? Verbi gratia, religioſus ex licentia prælati, filius ex patris, ſervus ex domini, uxor ex viri licentia, promiſere aliquid homini, an poſſint ſuperiores validè revocare ante rei promiſſæ traditionem? Affirmant *Aragon. 2. 2. quæſt. 88. art. 8. fol. 1020. & Leonard. lib. 2. de juſtit. c. 40. dub. 10. num. 75. in ſolutione ad* 2. propoſuerat enim argumentum, quod promiſſio facta homini ex licentia ſuperioris, nequeat revocari, & reſpondet poſſe validè, etſi ſuperior abſque cauſa juſta irritans peccet. Probatque, quia non ſola promiſſio, ſed etiam traditio, & executio ex ſuperioris nutu pendet. Poteſt inſuper probari, quia ea promiſſio facta abſque licentia imbibit conditionem, *ſi ſuperior conſenſerit*, & facta cum ea licentia, manet adhuc voluntatis ſubditi, & rei illius

illius promiſſæ apud ſuperiorem dominium. Ergo adhuc imbibit eamdem conditionem pendentem à ſuperioris voluntate; & ſic poterit irritari; hac enim ratione diximus *num.* 9. manere apud ſuperiorem concedentem licentiam vouendi dominium rei promiſſæ, & votum eſſe conditionale, ac proinde poſſe irritari.

23 At contrarium cenſeo, Quia firmitas contractuum inter homines requiſita petit, ut ſuperiore legitimo conſentiente contractui, cui conſentire poteſt, omnes ſuperiores in illo, & per illum conſentiant irrevocabiliter. Ut optimè ait *Suarez tom.* 2. *de religione tract. de voto*, *l.* 6. *c.* 8. *num.* 3. *in fine*, hinc inferens, nec prælatum ſuperiorem poſſe validè reuocare. Aliàs enim nemo auderet cum ipſis contrahere ſubditis, & religioſis. Quod in graue eorum damnum pullularet. Præterea, quia conditiones imbibitæ in his votis ſunt ex jure Eccleſiaſtico, ſic conſuetudine explicato. Ut probavi *c.* 24. *num.* 32. at has conditiones numquam in contractibus ſubditorum cum hominibus ex legitima licentia initis imbibi, conſuetudo declarauit. Id tamen fateor, eximi à culpa ſubditum non implentem renitente ſuperiore. Quia licèt ſuperior peccet, non tenetur ſubditus eo initio exequi.

24 Ad argumenta propoſita *num.* 7. reſpondetur. Ad primum dic, ut omnino votum ſubditi fiat irrevocabile, deſiderari ultra ſuperioris conſenſum, ipſam traditionem; at ut nequeat licitè abſque cauſa juſta reuocari, ſatis eſſe eum conſenſum. Ad confirm. conſtat ex dictis *num.* 9., ubi probavimus votum eſſe adhuc conditionale. Ad ſecundum reſpondet benè *Cajetan.* 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 8. *dub.* 3. ſubditum per illam licentiam accepiſſe ſolam quaſi poſſeſſionem emittendi voti, ac proinde prælatum non poſſe efficere, quin fuerit validum; non autem accepiſſe quaſi poſſeſſionem rei promiſſæ, & ideo ſuperiorem poſſe validè irritare. Ad tertium, conſtat ex dictis *num. præcedenti*. Ad ultimum reſpondet benè *Cajet. ibidem*, quando malitia ſe tenet ex parte rei ipſius præceptæ, quia, nimirum, præcipit injuſta ſuperior, non eſſe ei obediendum; ſecùs quando ſola malitia ſe tenet ex parte ſuperioris ſolius præcipientis; ſicut contingit in hoc caſu.

SUMMARIUM.

An peccet ſuperior, qui non abſolutè dedit licentiam vouendi, ſed ad tempus, vel libitum ſuum, & poſtea revocat, aut tranſacto eo tempore? n. 25.

Quid, ſi licentia fuerat pro tempore indeterminato, ut jejunandi ſemel qualibet hebdomada? n. 26.

Quid, quando licentia fuerit ſimpliciter, aut pro determinato tempore, & pro illo irritatur votum? Referuntur probantia non eſſe peccatum, n. 27.

Defenditur eſſe peccatum, n. 28.

Limitatur, niſi ex cauſa juſta fiat, n. 29.

Explicatur, qualis cenſeatur cauſa juſta, n. 30.

An ſit mortalis irritatio abſque cauſa juſta? Refertur opinio n. 31.

Explicatur ſententia Auctoris, n. 32.

An ſuperior abſque cauſa juſta irritans teneatur votum illud, implere, aut novam exequendi licentiam concedere? n. 33.

An peccet ſubditus petens abſque cauſa juſta irritationem? n. 34.

Poſt num. 34. *inuenies alia ſummaria.*

25 QUæſtio ſecunda. An ſuperior, qui vouendi licentiam dedit, peccet illud irritans, quando votum emiſſum, nondum eſt executioni mandatum? Et quidem quando ſuperior non abſolutè conceſſit licentiam, ſed ad certum tempus, conſtat eum poſſe licitè tranſacto eo tempore reuocare votum. Quod ſi licentia fuerit ad beneplacitum ſuum, ſeu quamdiu voluerit, poterit quandocumque. Quia in neutro caſu fuit licentia abſoluta, ſed pendens à tempore, aut beneplacito; ac proinde finito tempore, aut ceſſante beneplacito, poterit juſtè abſque aliqua voti emiſſi injuria illud irritari. Et ita docet *Suarez tomo ſecundo de religione, tractatu de voto, lib.* 6. *cap.* 4. *numero* 21. *& cap.* 8. *num.* 9.

26 Addit autem *Suarez eo cap.* 8. *num.* 9. ſi licentia detur indefinitè, ut ad jejunandum ſemel in hebdomada, poſſe faciliùs id votum irritari pro aliquibus diebus. Quia tunc non revocatur facultas prior, utpote quæ non negatur pro eodem tempore, ſed ſolus terminus adhibetur licentiæ conceſſæ abſque temporis limite. At hoc additum non approbo. Nam votum jejunandi, aut orandi ſemel in hebdomada, nullo præfinito tempore, eſt perpetuum; aliàs poſſet ipſemet vouens præfigere poſteà terminum. Ergo ſimiliter licentia abſolutè ad id votum conceſſa fuit perpetua. Quippe licentia ad actum aliquem faciendum, accommodatur illi, & durat toto actus tempore; ut licentia jejunandi adventu, durat toto aduentu. Quare cum revera irritetur tunc votum, pro quo ex ſuperioris licentia emiſſum eſt, dicendum eſt exigi cauſam juſtam, juxta ſtatim dicenda, ut revocatio ſit licita.

27 Difficultas autem eſt, quando licentia fuit ſimpliciter conceſſa, vel pro determinato actu, vel tempore, & pro eodem fit irritatio voti. *Suarez eodem lib.* 6. *cap.* 8. ait non deeſſe, qui dicant hanc irritationem poſſe per ſe fieri ſine ullo peccato; ac refert pro hac parte *Palacios ſupra*. Sed in *toto eo capite* non retulit ipſum, & ideò neſcio ubi id dicat, & ubi tractat de hoc, ait expreſsè eſſe peccatum. Ut *n. ſeq.* eum referam. Sed poteſt probari, nullam eſſe culpam. Quia ſuperior dans licentiam vouendi, nullam non retractandi obligationem contraxit, cum ipſe non vouerit, nec eam non retractare promiſerit.

28 At neminem inveni dicentem non eſſe peccatum, niſi in caſu, quem *numero ſequenti* explicabo. Et ita dicendum eſt culpam eſſe. Probatur ex *cap. Num.* 30. ubi de viro irritante votum emiſſum de ejus licentia ab uxore, ſic dicitur. *Portabit ipſe iniquitatem ejus*. Ideſt, pœnam ſoluet pro voti illius tranſgreſſione. Ut explicant *Lyra, & Vatablus ibi*. Et *Abulenſis ibi quæſt.* 43. *ad finem*, ſic explicat, *Non obſervari votum eſt iniquitas, tamen iſta non eſt in fœmina, ſed in viro, qui revocavit*. Et ratio eſt, ſicut ſuperior dans licentiam ſubdito promittendi aliquid homini, cooperatur illi obligationi, & quaſi offert rem illam ei homini, ita dans licentiam promittendi Deo, quantum eſt ex ſe, obtulit Deo materiam illius voti, & ad illud cooperatus eſt. Ergo revocans eſt injurius illi voto, & peccat in illud. Et ideò hoc tenent *Gloſſa ordinaria, cap.* 30. *Numer. ad finem, & ibi Hugo litera P. Hoſtienſis ſumma, tit. de voto, §. Quis vovere poſſit n.* 8. *verſic. Uxor etiam, Innocentius cap. Scriptura, ad finem, de voto, Ricardus* 4. *d.* 32. *art.* 2. *qu.* 2. *ad finem, in ſolutione ad* 1. *Abbas d. c. Scriptura, num.* 8. *& c. Chariſſimus, num.* 4. *de converſione conjugat. Turrecrem. c. Sunt quædam* 17. *qu.* 1. *num.* 10. *& c. Manifeſtum* 33. *quæſt.* 5. *numero* 3. *Abulenſis* proximè allegatus, *Major. in* 4. *diſtinct.* 38. *qu.* 4. *dubio* 1. *verſicul. Quarta perſona, D. Antoninus* 3. *p. tit.* 1. *cap.* 22. *ſtatim in principio, Cajetanus in ſumma, verbo Votum c. ultimo, ſtatim in principio, &* 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 8. *dubio* 2. *Roſella verbo Votum* 3. *numero* 2. *Angelus verbo Votum à numero* 10. *Sylveſter, verbo Votum* 4. *quæſt.* 2. *dicto* 6. *lex regia* 8. *tit.* 8. *p.* 1. *Sotus l.* 7. *de juſtitia quæſt.* 3. *art.* 1. *columu.* 9. *verſicul. Majori autem, Nauarr. ſumma Latina, & Hiſpana c.* 12. *numero* 73. *Palacios* 4. *diſtinct.* 38. *diſp.* 3. *folio* 872. *column.* 2. *verſic. Porro autem, Aragon.* 2. 2. *quæſt.* 88. *artic.* 8. *poſt* 6. *concluſionem, verſic. Eſt & aliud dubium, Suarez eodem lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 22. *& cap.* 8. *num.* 9. *Angles floribus* 2. *p. qu. unica de voto, art.* 7. *poſt* 9. *difficultatem, dubio* 1. *Petrus de Ledeſma* 2. *tomo ſumma, tractatu* 10. *cap.* 7. *dubio* 2. *in difficultate, quam movet circa* 4. *dictum, Manuel* 2. *tomo ſumma cap.* 89. *num.* 6. *Ludovicus Lopez* 1. *p. inſtructorii conſcientiæ cap.* 48. *ad finem, verſicul. Peccant prælati, Graffis* 1. *p. deciſionum, l.* 2. *cap.* 29. *in fine, Sayro in clavi regia, lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 12. *Vega* 2. *tomo ſumma cap.* 129. *caſu* 91. *Corradus in ſuis reſponſis* 1. *p. qu.* 303. *Emmanuel Sà in ſumma, verbo Votum, ubi de voti irritatione, num.* 2. *Leonardus l.* 2. *de juſt. cap.* 40. *dubio* 10. *nu.* 75. *Azor. tom.* 1. *inſtit. moral. l.* 11. *c.* 17. *q.* 6. *Llamas in methodo curationis* 3. *p. c.* 4. *§.* 43.

Quod tamen intellige, niſi adſit cauſa juſta poſtea irritandi. Quia cum prudens licentiæ conceſſio hunc caſum exceptum poſtulet, videtur ea licentia habere tacitam conditionem, *niſi cauſa juſta illius revocandæ occurrerit*. Præterea, quia aliàs ea revocandi poteſtas, incluſio conditionis in voto eſſet vana, cum ea poteſtas numquam poſſet licitè ad actum deduci. Atque ita tenent *Cajet. in ſumma, Major., D. Anton. Roſella, Sylv. Sotus, Palacios, Aragon. Suarez utroque loco, Manuel, Leonard. Emmanuel Sà, Llamas, Vega, Azor. Sayro n. præc.* relati.

30 Hæc autem cauſa debet eſſe grauior, quando eſſet in principio ſufficiens ad denegandam licentiam. Quia ratione voti conſurgit novum in ſuperiore vinculum, quale antea non erat. Et ita docet *Suarez eodem l.* 6. *c.* 8. *nu.* 9. At credo, non tam urgentem cauſam deſiderari ad hanc irritationem, ac ad diſpenſationem. Quia irritatio illa poteſtati dominativæ innititur, quæ ex ſe nullam irritationis cauſam poſtulat, & cum adhuc duret dominium, obligatio illa ex conſenſu ſuperioris orta non inducit tantam obligationem non reuocandi, ac ſi non actus dominii, ſed merè diſpenſationis eſſet actus ille. Inſuper, quia diſpenſatio abſque cauſa eſt omninò irrita, & culpa lethalis ſecundùm omnes. At irritatio hæc abſque cauſa valet. Ut *num.* 9. probavimus. Et eſt probabile non eſse culpam mortalem, ſic irritare. Ut dicemus *n.* 32. Ergo res gravior eſt diſpenſatio, majoremque cauſam petit.

31 Difficultas autem eſt, qualis culpa ſit ſuperioris irritantis abſque juſta cauſa votum ex licentia ſua emiſsum? *Roſella verbo Votum* 3. *n.* 2. dicit eſse culpam venialem. Et *Suarez tom.* 2. *de relig. tract. de voto, l.* 6. *c.* 4. *ad finem*, dicit rarò eſse lethalem, niſi vel ſcandalum, vel contemptus grauis intercedat. Atque fauet *Sotus lib.* 7. *de juſt. q.* 3. *art.* 1. *col.* 9. *verſic. Majori autem*, quia ea ratione probat culpam hujus irritationis, quòd poteſtas hujus irritationis non ſit adeò abſoluta, quin ratione. & judicio debeat fieri; & refert ſe ad ea, quæ ſuperiùs dixerat. At ſuperiùs dixerat eſse ſolam culpam venialem irritare abſque cauſa, etſi tunc loquebatur de irritatione in genere; & ſolam imprudentiæ culpam videtur aſſignare, quæ rarò culpam venialem excedit. Probat autem *Suarez*, qui irritatio illa non eſt contra juſtitiam, cum ſuperior utatur jure ſuo, & ideò valida eſt. Nec eſt contra religionem, quia ſuperior non vouit, & ſic nullum votum violat, nec eſt cauſa violationis ejus, cum enim auferat per irritationem votum illud, non retinet vim obligandi, & ſic vouens non violat illud. Quare ſolùm eſt cauſa, ut votum non ſit, vel non obliget, quod non eſt tam graue, ut ſit culpa mortalis. Nec eſt ſimile, quando vir abſque cauſa impedit uxorem, ne audiat ſacrum in die feſto. Quia cum tunc maneat præceptum, & ſubinde obligatio, injuſtè

injuſtè impedit illud impleri, & ſubinde peccat mortaliter contra illud, quamuis uxor à tranſgreſſione excuſetur. At in noſtro caſu nulla voti obligatio ſupereſt, ſed per irritationem ceſsata eſt.

32 Sed quamvis hoc ſit ſatis probabile, exiſtimo probabilius eſse, culpam mortalem reperiri in ea irritatione, quæ reducitur ad ſacrilegium contra votum. Quod probat ratio allata *numero vigeſimo octavo*, & ex illa ſolvitur contraria. Et ſatis id probat locus *Numerorum* 30. *ibi* adductus, cum expoſitione Doctorum *ibi* relata. Nec enim culpa venialis rectè appellatur iniquitas, nec ſubjacet pœnis tranſgreſſionis voti, quæ mortalis eſt. Sed reſpondet *Suar.* non ſumi *ibi* iniquitatem formaliter, ſed materialiter, quia revera in uxore non eſt aliqua culpa, ſed ipſa non obſeruatio voti appellatur iniquitas materialis. At ſenſus non placet, tum quia ſatis impropriè loqueretur ſcriptura, ſi ita intelligeretur, quia non eſt propriè, & verè culpa, quæ talis eſt materialiter; nec etiam dicitur culpa materialiter ubi nullum eſt præceptum, ſed ubi eſt veri præcepti tranſgreſſio excuſata à culpa formali per ignorantiam inculpabilem, tum etiam, quia culpæ materiali nulla debetur pœna tranſgreſſionis præcepti. Et ita ſenſus ejus loci eſt, culpa, & pœna, quæ contractura erat uxor violans id votum, non facta illa irritatione, imputantur viro, qui cauſa fuit irritando illicitè votum. Sicut quando ruſticus conſulto viro docto, init contractum injuſtum, excuſatur à culpa, ratione ignorantiæ invincibilis, at ea culpa, quam ipſe aliàs contracturus erat, redundat in malè conſulentem. Et ideò hanc ſententiam tuentur *Cajet.* 2. 2. *Navarr. lex Regia, Angles, Aragon. Lud. Lop. Manuel, Sayro, Llamas, Corradus, Petrus de Ledeſma*, ubi *num.* 28. eos retuli. Quod benè intelligit *Petrus de Ledeſma*, juxta materiam voti: ſi enim ea ſit ad venialem obligans ratione levitatis, conſtat eam irritationem eſse ſolùm venialem, cum grauior culpa eſse nequeat, quàm foret tranſgreſſio voti non irritati.

33 Nullatenus tamen admitto, quod ait *Fonſeca in adnotatione ad marginem Gajetani cap.* 30. *Numeror. ad finem*, ubi dicit teneri ſuperiorem implere id votum ex ſua licentia factum, ac illicitè irritatum, imò nec tenetur concedere licentiam ad illud implendum, nec ea conceſsa tenebitur ſubditus. Quia juxta dicta *num.* 19. eſt omninò votum caſſatum, & omninò vi obligandi deſtitutum, nec reuiuiſcit, & ideò, niſi denuo emittatur à ſubdito, non poteſt illum obligare. Ut diximus *c. præced. nu.* 1. Nec etiam ſuperiorem: quod enim non eſt, operari nequit. At ſi ſuperior votum illud non irritarat, ſed obligationem ſuſpenderat abſque juſta cauſa, tenetur licentiam exequendi concedere. Quia cum adhuc obligatio voti vigeat, tenetur illicitum impedimentum auferre.

34 Ex dictis infertur, ſubditum petentem irritationem voti ex licentia ſuperioris emiſſi, quando certus eſt nullam juſtam irritandi cauſam eſse, taliter peccaturum, qualiter peccaret ſuperior irritans. Quia ſuperioris peccato cooperatur. Quare tenendo opinionem probabilem dicentem ſuperiorem peccare venialiter, erit quoque veniale in ſubdito; at tenendo probabiliorem dicentem eſse mortale in ſuperiori, erit quoque in ſubdito culpa mortalis. At ſi ſubditus dubius de cauſæ ſufficientia illam proponeret ſuperiori capaci diſcernendi, an juſta ſit (quod addo propter virum, dominum, parentes, qui ſæpè aut ruſtici, aut ignari ſunt) immunis eſset culpæ. Quia poteſt ſtare judicio ſuperioris. Quando autem ſuperior non eſt capax id judicandi, conſulendus eſt vir doctus. Si autem petat ab alio ſuperiore, dicemus *num.* 38.

SUMMARIUM.

An prælatus æqualis ſuccedens illi, qui licentiam vovendi dedit, poſſit validè, & licitè irritare abſque cauſa votum illud? Proponuntur probantia partem negantem, nu. 35.

Explicatur ſententia Auctoris, nu. 36.

Quid de emiſſis ex licentia patris, aut prioris tutoris, curatoris domini, aut viri, aut uxoris? nu. 37.

An petens irritationem voti de licentia ſuperioris emiſſi à ſuperiore illius ſuperioris, aut ab æquali ſucceſſore, ſciens nullam ſubeſſe cauſam peccet; num. 38.

An teneatur illi ſuperiori explicare votum eſſe ex alterius licentia emiſſum? nu. 39.

Solvuntur argumenta, num. 40.

Poſt num. 40. *invenies omnia ſummaria, quæ deſiderantur.*

35 QUæſtio tertia. An ſuperior æqualis ſuccedens ei, qui licentiam dedit poſſit validè, & licitè irritare votum ex licentia præcedentis emiſsum, & nondum executioni mandatum, perinde ac ſi abſque licentia emiſsum eſset? Videtur dicendum id non poſse aliter, quàm concedens licentiam poterat, nempe, validè; at cum illa. Quia ſuccedit in eamdem prioris ſuperioris poteſtatem. Ergo non aliter, quàm ille poteſt irritare. Secundò, quia illam obligationem permittendi ſubdito executionem voti, contraxit præcedens ſuperior, non ut perſona privata, ſed ut ſuperior. Ergo illa ad ejus ſucceſsorem derivatur, ſicut deriuarentur omnes aliæ obligationes rationabiliter ab eo, quatenus ſuperiore contractæ. Et confirmatur, quia eatenus poteſt ſucceſsor, quatenus à præcedentis ſuperioris voluntate illud votum pendebat. At ab illa voluntate non pendebat abſolutè, ut licitè fieret, ſed interveniente cauſa juſta. Ergo ſuccedens indiget etiam cauſa juſta, ut licitè irritet. Et hoc eſt probabile.

36 At verius eſt, poſse æqualem religionis prælatum irritare licitè, & validè, vota ex præcedentis æqualis ſuperioris licentia emiſsa abſque cauſa, non aliter, quàm ſi abſque illa licentia forent emiſsa. Conſultò dixi, *perinde ac ſi abſque ulla licentia eſſent facta*, nam dixit *c.* 24. *num.* 13. eſse veniale abſque ulla cauſa irritare votum, etiamſi de nullius licentia emiſsum eſset. Quod autem hic intendo, eſt, nullam aliam culpam inueniri in hac irritatione, ratione licentiæ, qua votum eſt emiſsum, nec ob id majorem aliquam cauſam deſiderari ad irritationem. Probatur, quia cum par in parem non habeat imperium, *c. Innotuit, de electione*, licentia præcedentis ſuperioris æqualis nequit ſuccedenti æquali præjudicare, quominus poſset liberè, & abſque cauſa votum id irritare, perinde ac ſi abſque licentia factum eſſet. Et confirmatur, quia etſi præcedens ſuperior, eò quòd dando vouendi licentiam, effectus ſit particeps voti ſubditi, coarctarit ſuam poteſtatem, ne ita liberè ſicut antea poſſit id votum irritare, at nequiit ſucceſsoris, qui nulla ratione fuit voti illius particeps, nec aliquam erga Deum obligationem contraxit, poteſtatem liberè irritandi coarctare. Sicut ſi præcedens emiſiſset votum non irritandi vota illius ſubditi, non poſset abſque ſacrilega voti violatione irritare; at æqualis ſucceſsor poſset utique, utpote qui ſuam poteſtatem non alligavit. Et ideo hanc ſententiam ſuſtinent *Petrus de Ledeſma* 2. *tomo ſumma, tract.* 10. *cap.* 7. *dubio ultimo, dicto* 11. *Suarez tomo ſecundo de religione, tractatu de voto, l.* 6. *c.* 8. *num. ultimo*.

37 Atque idem dicendum eſt de votis emiſſis ex licentia patris, vel tutoris, aut curatoris, reſpectu ſequentis tutoris, aut curatoris, ſuccedentium in æqualem poteſtatem, & de votis emiſſis ex licentia prioris viri, aut uxoris, aut domini, reſpectu ſequentium, qui in eamdem priorum poteſtatem ſuccedunt, & hoc quo ad vota, quæ poſsent priores irritare liberè, ſi ex eorum licentia non eſsent emiſsa. Quia (ut *cap. ſequenti* oſtendimus) vota hæc non reputantur quaſi tempore ſolutæ poteſtatis emiſsa, & ſic non conditionalia, ſed pendent ex voluntate, non ſolius præſentis ſuperioris, ſed etiam ſucceſsoris in eadem poteſtatem, ac proinde non ſolùm a præſenti, ſed à ſucceſsore pendent. Cum ergo præſens ſuperior nequeat æquali ſucceſsoris poteſtati derogare, licentia ab eo conceſsa non minuet liberam ſequentis poteſtatem, ad irritanda ea vota. Procedit etiam hoc quo ad impuberes, retenta ſententia, quam *n.* 18. tenuimus, nempe, vota ab impuberibus emiſsa ex licentia patris, aut tutoris, poſse poſtea irritari.

38 Hinc deducitur, petentem voti irritationem de licentia ſuperioris emiſſi, à prælato ſuperiori aut æquali ſucceſsore, quamvis norit nullam ſubeſse irritandi cauſam non ampliùs peccare, quàm ſi abſque licentia id votum emiſiſset. Quia ſuperior, à quo petit, poteſt perinde irritare, ac ſi licentia non eſset, & ideò non inducit illum ad novum aliquod peccatum. Nec licentia à priori obtenta obligat voventem ad non adeundum alium ſuperiorem. Dixi non ampliùs peccare, quàm ſi abſque licentia eſset emiſsum, quia *c. vigeſimoquarto, num.* 15. ſuſtinui eſse veniale petere abſque ulla cauſa irritationem voti abſque licentia emiſſi.

39 Nec tenetur ſubditus irritationem voti petens ab alio ſuperiore, majore, vel æqualis, exprimere ex alterius licentia emiſsum eſse. Quia nullo jure id exprimere cogitur nec ad irritationem jure impediendam confert, nec irritantis poteſtatem minuit. At ſi ab eodem ſuperiore immemore prioris licentiæ peteret, teneretur illam exprimere, aut ſi dubius eſset, an ſit memor, aut ſi per ſe ipſum, aut per tertiam perſonam, petat voti irritationem, eo non explicatio. Quia jure optimo licentia illa retrahet ſuperiorem à facili irritatione, & coget mature conſiderare cauſam, utpote qui per licentiam à ſe conceſsam eſt multo minùs liber ad licitam irritationem. Si tamen cauſa ſufficiens, & vera proponeretur, valeret tacita licentia. Quia ob id ſolùm ejus expreſſio opus erat.

40 Ad argumenta propoſita *n.* 35. reſpond. Ad primum dic, licèt poſterior ſuccedat in eamdem prioris poteſtatem, non inde ſequi, ut non aliter poſſit irritare vota, quàm prior poterat. Quia hic ſuam poteſtatem alligavit, non autem prioris. Ut oſtendi *num.* 36. Ad ſecundum neganda eſt conſequentia. Si enim aliquid probaret, concluderet nec ſuperiorem majorem poſse. Et ideò dicendum eſt, id verum habere in obligationibus ſolis contractis cum homine. Ut *num.* 22. explicuimus. Ad confirmationem, negandum eſt poſse irritare, ſolùm quatenus id votum pendebat à voluntate prioris, ſed quatenus ab illa, & cujuſcumque altiorem poteſtatem habentis, aut ſuccedentis in æqualem.

SUMMARIUM.

Quæ requirantur, ut votum dicatur ex ſuperioris licentia emiſſum? num.41.
An ſatis ſit approbatio ſubſequens? nu.42.
An ſit licentia emiſſum, quando tacito voto petitur licentia vovendi, aut faciendi operis promiſſi? nu.43.
Quid, ſi obtenta ſit licentia faciendi operis promiſſi, & votum ejus fiat? num.44.
An ſatis ſit ad hunc conſenſum taciturnitas ſuperioris, audito voto? Refertur quædam ſententia, nu.45.
Non ſufficit deficiente conſenſu interno; nec eſt opus ſtatim adeſſe diſſenſum, num.46.
Quid, ſi adſit taciturnitas illa cum conſenſu interno? nu.47.
Quid, ſi audito voto ab alio, vel à ſubdito non petente approbationem, ſuperior taceat conſentiendo interiùs, ſufficiatque conſenſus internus, abſque nulla taciturnitate, aut ſigno externo? Proponuntur probantia id ſufficere, nu.48.
Explicatur ſententia Auctoris, nu.49.
An conſenſus egreſſus ſufficiat non intimatus ſubdito per ſuperiorem, aut nuntium ad id deſtinatum, ſed per alium? numero 50.
An in dubio conſenſus interni, is præſumatur ex ſuperioris taciturnitate, proponente ſubdito ei votum, ut id approbet, vel petente licentiam vovendi? Refertur quædam ſententia, numero 51.
Explicatur ſententia Auctoris, nu.52.
Quid, ſi ſuperior putet ſe non poſſe contradicere, aut ignoret poſſe? num.53.
An ſatis ſit ea taciturnitas, ut ſubditus votum rei prohibitæ expleat; nu.54.

41 QUæſtio ultima. Quando dicatur votum ex ſuperioris licentia emiſſum, ut ſic nequeat illud licitè irritare abſque cauſa. Conſtat eam licentiam exigere notitiam voti in ſuperiore, & voluntatem illud approbandi. Quia cum voluntas non feratur in incognitum, nequit confirmatio in voluntate eſſe voti ignorati. Nec etiam ſufficit illius ſcientia, quia ea ſtante poteſt voluntas negatiuè ſe habere, ſuſpendendo conſenſum, vel diſſenſum: poteſt etiam non approbare. Ergo uterque actus requiritur.

42 Conſtat etiam non exigi, ut licentia præcedat votum, ſed ſatis eſt approbatio ſubſequens ſuperioris, cognito voto. Conſtat ex *c.30. Numer.* ibi: *Quòd ſi audiens vir tacuerit, &c.* ubi approbatio voti auditi, & ſubinde facti, cenſetur ſufficiens, ut ſuperior nequeat liberè irritare. Et ita ſupponunt omnes DD. citandi *num.*45. & 46. Et ratio eſt, quia quoties conſenſus ſuperioris non deſideratur ad actus ſubditi valorem, poteſt præſtari in ipſo actu, ante, & poſt illum. Ut multis citatis probat *Matienzo libro 5. recopil. 3. l.5. gloſſ. 1. numero 1. & 2.* Quod in hoc caſu contingit: nam id ſubditi votum valebat, ac efficaciter ante ſuperioris conſenſum obligabat; & ab eo conſenſu eam ſolam firmitatem accepit, ut deinceps abſque cauſa reuocari licitè nequeat. Ergo ſatis eſt approbatio ſubſequens.

43 Hinc deducitur, ſi ſubditus tacito voto impetraret licentiam operis promiſſi exequendi, aut illius vouendi, nec licentia obtenta votum illud innouaret, eſſe prius votum abſque licentia emiſſum. Quia cum ſuperior votum prior ignorarit, non fuit licentia illa ad votum emiſſum approbandum, ſed ut denuo emitteretur, nec denuò emiſſum eſt. Nec licentia operis exequendi potuit extendi ad approbationem voti emiſſi ignorati à ſuperiore.

44 Sed quid ſubditus obtenta licentia aliquid donandi, aut faciendi, voueat ſe id facturum, aut donaturum? Videtur licentia ſuperioris id votum factum. Quia eo ipſo quòd concedit ſuperior licentiam donandi, videtur concedere promittendi: quare ſi ille homini promitteret ſe eam donaturum, diceretur verè promiſſio illa facta ex ſuperioris licentia. At dicendum eſt non cenſeri ex licentia ſuperioris factum. Quia id votum eſt novum onus, & opus à ſubdito liberè factum obtenta ea licentia, fit emiſſo voto ex neceſſitate præcepti, cui oneri, & præcepto ſuperior non conſenſit. Item, quia jure naturali eſt data licentia, imò præceptum omnibus impoſitum non mentiendi, & tamen nequit ob id religioſus firmum non mentiendi votum emittere, ſed id liberè poteſt à ſuperiore irritari. Ut ſuo loco dicemus. Non ergo licentia aliquid efficiendi eſt licentia vouendi. Præterea, quia longè difficiliùs concederet ſuperior ſubdito licentiam vouendi jejunii omnibus ſextis feriis, quàm ſolius ejus jejunii. Cum illud ſit magnum ſubditi grauamen, & ſuperioris, & priuando illum libertate omittendi, & hunc facultate liberæ irritationis: hoc autem neutrius eſt grauamen, ſed utrumque in priſtina libertate relinquit. Nec obſtat ratio contraria. Quia promiſſio, & pactum contrahendi præcedit ut in plurimum ipſum contractum alienationis, in humanis, ac eſt quaſi diſpoſitio; ac proinde ſuperior indulgens alienationem, videtur promiſſionem illius indulgere, *l. Oratio ff. de ſponſal.* At votum dandi, aut faciendi non eſt via, & diſpoſitio ad opus, ſeu ipſius initium, ſed alterius ordinis. ac proinde non includitur in licentia dandi, aut faciendi.

45 Potiſſima autem difficultas eſt, an taciturnitas, & diſſimulatio ſuperioris, cognito inferioris voto, cenſeatur conſenſus, ac voti illius approbatio, ita ut jam non ſit ſuperiori integrum irritare abſque cauſa? Affirmant *Innocent. c. Scripturæ num.3. verſic. Sed nobis, de voto, ubi Joann. Andr. nu. 4. Cardin. qu. 12. Rainerius, & ejus Gloſſator*, ut refert eos ſequens *Sylv. verb. Religio 2. quæſt. 15. verſ. Adde prædictis, Abulenſis cap. 5. Matthæi quæſt. 149. Adrianus in 4. quæſt. 14. de matrim. Sayro in clavi regia, l. 6. c. 10. nu. 16.* Atque *Abulenſis, Adrianus, Sylv. Sayro*, addunt debere ſtatim audito voto ſuperiorem contradicere, ne votum maneat confirmatum. Quod explicat *Sylv. ibi*, ideſt, eadem die. Et probatur ex *c.30. Num.* ibi: *Quòd ſi audiens vi4 tacuerit, & in alteram diem diſtulerit ſententiam, quidquid voverat, reddet.*

46 Sed dicendum eſt, ſolam taciturnitatem ſuperioris, conſenſu interno deſtitutam, non ſatis eſſe ad voti approbationem, ut in poſterum non maneat ſuperiori libera irritandi poteſtas. Quia cum irritatio ſit actus dominii, poteſt dominus re ſua uti, ut voluerit, atque ita poteſt tacendo habere ſe merè negativè, nec aſſentiendo, nec diſſentiendo: poteſt etiam decretum ſuum ſuſpendere, donec maturiùs deliberet. Non ergo ea taciturnitas abſque interno conſenſu ſufficit voto approbando. Et ita docent *D. Thom. 4. d. 32. in fine, in expoſitione litteræ, & ibi Palud. qu.2. art. 2. nu. 17. Cajet. in c. 30. Num. in fine, Tabiena verb. Matrimonium 1. q.3. num.4. Suar. tomo 2. de relig. tract. de voto, libro 6. c.6. nu. 14. & c.4. num.20.* Quare lex illa *c.30. Num.* quæ hac taciturnitate inducebat conſenſum, fuit quo ad hoc cæremonialis, & ideò nunc non obligat. Ut rectè notarunt *Cajet. ibi in fine, & Suarez* utroque loco citato. Qui etiam benè addit *eo c.4. numer.* 20. fuiſſe quoque eam cæremonialem, quatenus putabat ſuperiorem ſtatim audito voto contradicere, atque ita poſſe virum hodie contradicere quocumque tempore, ac votum id irritare, ſi nondum conſenſerit.

47 Verùm ſi audito voto ſuperior taceret, habens internum illius approbandi conſenſum, eſſet utique ſufficiens illius approbatio. Quod expreſſè colligitur ex *Cajet. & Suarez* utroque loco citatis *numero præcedenti*, quatenus ajunt ſolam taciturnitatem abſque conſenſu interno non ſufficere. Et tenent DD. allegati *numero quadrageſimo quinto*. Et ratio eſt quia adeſt conſenſus internus aliquali ſigno externo manifeſtatus. Quod clariùs conſtabit ex dicendis in *numero 52.*

48 Sed dubitatur, an ſufficiat qualiſcumque voti auditio, cum hac ſuperioris taciturnitate, an potiùs oporteat audire à ſubdito proponente votum ſuperiori? Videtur enim quæcumque auditio ſufficiens, imò ſolus internus ſuperioris conſenſus. Quia votum ſubditi erat validum, & ſola conditio ſuperioris conſenſus deficiebat ad ejus firmitatem, qui ponitur ſuperiore interiùs conſentiente. Et cum nullus ſit contractus cum homine, nec pendeat ex ſubditi voluntate, ſed velit, nolit ille, poteſt ſuperior conſentire non eſt unde neceſſarium ſit eum conſenſum exteriùs manifeſtari; cum ſolùm deſideretur ad majorem voti firmitatem in ordine ad Deum, cui omnia interna ſunt manifeſta. Nec obſtat, ſi dicas magis gravari ſubditum eo conſenſu ſuperioris, ac proinde oportere eum non eſſe externum; manet enim firmiùs voto ligatus. Non inquam obſtat, quia ea major firmitas provenit ex voti priùs à ſubdito emiſſi natura, ex parte ſua omninò firmi, pendentiſque à ſola ſuperioris voluntate; quare ſat eſt eam voluntatem eſſe Deo notam. Si enim vir, aut alius ſuperior interiùs promitteret ſe non irritaturum id ſubditi votum, maneret firmum, nec enim poſſet illud licitè revocare. Cum tamen conſenſus ille non ſit ſubdito intimatus.

49 Verùm dicendum eſt non ſufficere conſenſum merè internum, nec quamcumque ſuperioris audito voto taciturnitatem, ſed oportere audiri ab ipſo ſubdito proponente illud ſuperiori, ut facultatem exequendi concedat. Quod optimè docuit *Cajetan. in ea verba, c. 30. Num. ſi cognoverit pater votum, & tacuerit* ubi hæc verba ait: *Juxta Hebræum adjungitur pronomen, nam dicitur, & tacebit ei pater ejus, Quæ verba non ſignificant ſimplex ſilentium, ſed ſilentium illi: ut per hoc intelligamus, quòd non de quocumque ſilentio patris, ſed de ſilentio patris requiſiti à puella de facultate exequendi votum, lex loquitur. Hoc enim prætendunt verba legis, & tacebit ei pater ejus. Et hunc eſſe litteralem ſenſum legis hujus, ex eo habetur, quòd lex interpretatur ſilentium patris conſenſum: & hoc in foro conſcientiæ. Alienum autem à ratione legis eſt, ut ſilentium patris non requiſiti, quamvis ſcientis votum filiæ habeatur pro conſenſu; præſertim in foro conſcientiæ. Naturalis enim ratio dictat, ut expectet pater ſe requiri: cum filia ſecundùm rectæ rationis ordinem teneatur ad requirendum conſenſum patris: cui ſubjicitur, ad hoc ut adimpleat votum ſuum. Ipſa enim non juſſa à patre fecit votum: & propterea ad ipſam ſpectat requirere conſenſum paternum.* Quod idem repetit in ea verba *ejuſdem c. 30. Si audierit vir*, etſi non tam latè, ſed tantùm dicit, juxta Hebræum haberi: *Et ſi tacendo tacebit ei vir ejus*. Atque idem docet *Suarez tomo 2. de relig. tract. de voto, l.6. c.6. n.14.* Et poteſt eſſe ratio, quia cum conſenſus hic non ſolùm ſit in ordine ad Deum, ſed ſit licentia homini ſubdito conceſſa, debet eſſe more humano; & ita debet eſſe manifeſta illi. Nec obſtat exemplum adductum de voto non irritandi emiſſo a ſuperiore. Quia in eo caſu eſt omnino per accidens, & extra naturam voti emiſſi a ſubdito, & ideo non oportet id ſuperioris votum illi intimari. At in noſtro caſu conditio conſenſus præſtandi à ſuperiore eſt imbibita in ipſo ſubditi voto, & ideò ita debet poni, ut ipſi ſubdito ſit cognita. Sicut ſi promiſſio eſſet cum hac conditione expreſſa *quamdiu Petrus conſenſerit*, oporteret hunc conſenſum Petri eſſe intimatum vouenti.

50 Atque ſicut non ſufficit ad hanc licentiam audiri votum ab alio, quàm ab ipſo ſubdito, aut nuntio per eum ad id deſtinato: ita nec ſatis eſt licentia ſuperioris conceſſa in abſentia ſubdito petenti, niſi per litteras ſuperioris, aut per nuntium ad id ab eo deſtinatum intimetur ſubdito, quamvis caſu alius audiens licentiam intimet ſubdito. Quia ad voti firmitatem debent in unum concurrere, & quaſi uniri voluntas ſuperioris, & ſubditi; at non uniuntur, quando ſubditus audivit caſu ab alio. Item quia ea licentia eſt quaſi quædam gratia, & conceſſio; at ut hæc proſit, debet intimari per nuntium hujuſmodi, aut litteras. Ut probaui *l. 3. de matr. diſp. 36. num.2. & num.7.* Et confirmatur, quia etſi præceptum ſuperioris alicui impoſitum non pendeat à ſubditi voluntate, ſed velit, nolit, ipſum obligat, at opus eſt ad hanc obligationem, id intimari ſubdito per ſuperiorem, aut ejus litteras, aut nuntium ad id deſtinatum. Sicut autem *ea diſput. 36. numero* 6. dixi ſufficere gratiam intimari procuratori, aut nuntio deſtinato à petente ad eam impetrandam, ita ſufficiet eam licentiam intimari nuntio deſtinato à ſubdito ad eam impetrandam.

51 Sed adhuc difficultas eſt, an in dubio, an adfuerit conſenſus internus in ſuperiore, is præſumatur ex ejus taciturnitate, proponente ei ſubdito votum, ut illud approbet, aut licentiam concedat? *Suarez tomo 2. de religione tract. de voto, lib.6. c.4. num.20.* ſic diſtinguit. Si materia voti poſitivè cedat in ſuperioris præjudicium, non cenſebitur approbatio per illam taciturnitatem, ſed opus eſt expreſſa facultate. Si autem materia pertineat ad ſolam debitam ſubordinationem, & gubernationem, vel ad bonum animæ uxoris, aut alterius ſubditi, de quo non conſtet cedere in ſuperioris præjudicium, tunc taciturnitas ſufficit, ut poſſit ſubditus exequi licitè votum, imò ut debeat, ſi tempus obligationis inſtet. Et poteſt probari, quia in favorabilibus tacens conſentire videtur, ſecùs autem in præjudicantibus ſibi. Ut probaui *libro 1. de matrim. diſp.5. num.* 5. Atque fauet huic ſententiæ *Cajet. c. 30. Numerorum, ad finem*, ubi poſtquam dixerat juxta legem illam Moſaicam, non ſola præſumptione, ſed auctoritate etiam illius legis, taciturnitatem habere vim conſenſus; addit hæc verba: *Verumtamen quantum ad hoc, lex iſta ad jus poſitivum ſpectat. Siſtendo enim intra limites moralis rectitudinis, ſilentium requiſiti non eſt ſufficiens ſignum interni conſenſus.*

52 At ſi ratio adducta aliquid probaret, concluderet utique numquam illam taciturnitatem eſſe ſignum conſenſus. Quippe hic ſemper cedit in ſuperioris damnum, utpote qui priuatur facultate libera irritandi votum, cui conſenſit. Et quando concurrunt duæ præſumptiones, validior deſtruit minùs validam, illique præponderat, *l. Divus, ff. de integr. reſt.* & multis citatis *Menochius de præſumpt. lib.1. qu.30. num. 1.* At conjectura, & præſumptio faciens actum valere, & conſiſtere, reputatur reliquis firmior, & potentior. Ut ex multis probat *Menochius eo l.5. quæſt. 29. num. 3.* & latiſſimè *l.6. tota præſumptione 4. & de arbitr. lib.2. caſu 472. nu.2.* Præterea, ea etiam præſumptio validior eſt, quæ veriſimilitudini magis convenit. Ut alios referens teſtatur *Menochius ea q.29. num.10. & eo caſu 472. num.22.* Cum ergo concurrant in hoc caſu duæ conjecturæ, altera ut tacens non præſumatur conſentire in nocentibus ſibi, qua ſtante tollitur firmitas voti; altera ut pro ejus firmitate præſumatur in hoc dubio, atque veriſimilitudini exiſtimatæ ex communiter accidentibus magis conveniat, ut taciturnitas in eo caſu ſit ſignum conſenſus, ut ſtatim ex doctrina *Cajetani* probabo; præſumptio hæc, ut ſit conſenſus, prævalebit in hoc dubio. Quod egregiè explicuit *Cajetan. in d. c. 30. Numerorum, paulò ante finem*, his verbis. *Ut plenè intelligas hanc materiam ſcito quòd vir requiſitus de conſenſu ad vota emiſſa ab uxore, tacens præſumitur à lege iſta conſentire; itaque legis præſumptione ſilentium habetur pro conſenſu. Nec ab re, quoniam communiter ſilentes, tam patres, quàm mariti requiſiti, ideò ſilent, quia conſentiunt in hujuſmodi, quæ ſunt in favorem animarum. Itaque ſecundùm communem curſum, ſilentium mariti, vel patris in hujuſmodi requiſiti, ſignum eſt conſenſus.* Ecce quàm claris verbis teneat hanc partem *Cajet.* Nec obſtant verba ex ipſo relata *num. præcedenti in fine*, nam ſtatim videtur ſe explicare, ut intelligat eam taciturnitatem non ita eſſe ſufficiens conſenſus ſignum, ut ea abſque interno conſenſu ſat ſit ad voti firmitatem. Nam immediatè poſt ea verba, addit hæc. *Et propterea hodie quo ad hoc, lex iſta non ligat; ſed maritus ſi in veritate non conſenſit, quantumcumque requiſitus ſiluerit, poteſt abſque peccato aliquo irritare vota uxoris.* Præterea, quia non tanti momenti eſt damnum ſuperioris ex conſenſu in ſubditi vota, ut præponderare debeat, ne ratione illius inducatur conſenſus tam vehementi conſenſus conjecturæ ductæ ex iis, quæ ferè ſemper accidunt: cum exiſtente cauſa juſta, minori, quàm ad diſpenſationem petita poſſit votum irritare. Ut diximus *num.30.* Et ita hæc ſententia placet. Cui etiam conſentiunt Doctores relati *num.45.* Et ideò concludo taciturnitatem ſuperioris requiſiti à ſubdito, ut votum confirmet, vel approbet faciendum, eſſe ſufficiens ſignum, ut in dubio præſumatur conſenſus. Quod etiam tradit *Valentia 2. 2. diſput. 6. quæſt. 6. punct. 6. quæſt. 1. in fine*. Quia præſumptione, dum contrarium neſcitur, eſſe ſtandum in foro conſcientiæ, probavi *lib.1. hujus tractatus c. 10. num.18.*

53 Dicta tamen intellige, niſi ſuperior tacens erraret poſitivè, credens ſibi non eſſe integrum contradicere, aut licentiam denegare, tunc enim etiam licentia expreſſa non ſibi noceret, nedum præſumpta per illam taciturnitatem; ſecùs autem eſſet, ſi ſola ignorantia negativa hujus poteſtatis eſſet. Ratio differentiæ eſt, quia quando eſt ignorantia poſitiua, ſeu error, proponitur objectum voluntati, ut affectum tali conditione, & ut ſic mouet, & amplectitur à voluntate. Quare dum illa conditio non eſt vera, eſt prorſus inuoluntarium. At ignorantia negatiua non proponitur objectum, ut affectum illa conditione: nec ut ſic mouet, & ideò quamuis conditio illa ignoretur, eſt valida implicitè in objecto propoſito, à quo non fuit per errorem excluſa. Sicut licèt error magnarum aſperitatum religionis tollat voluntarium petitum ad votum illius, non tamen id tollit ignorantia purè negatiua. Ut ſuo loco ſupra diximus.

54 Quidquid tamen ſit de hoc, an illa taciturnitas ſit conſenſus in votum: id tamen aſſerendum eſt, ſufficere, ut ſubditus licitè exequatur votum rei interdictæ, ad quod exequendum exigitur licentia ſuperioris, & ut teneatur exequi, ſi tempus exequendi inſtat, taciturnitas ſuperioris videntis ſubditum id opus implere, aut volentem implere, nec contradicentem, cum commodè poſſit contradicere, ſive ſuperior norit votum, ſiue illud ignoret, dummodò ſubditus non proponat illi votum, ut illud approbet. Quia cum tunc ea taciturnitas non ſit voti approbatio, ut diximus *n.49.* eſt in re nullatenus damnoſa ſuperiori, ac favorabili animæ ſubditi, & proinde eſt ſufficiens licentiæ ſignum. Et ſic intellectum eſt certum, quod diximus *c. 25. num.17.* hanc taciturnitatem eſſe ſignum conſenſus, & ſat eſſe ad votum id exequendum. Quando autem ea taciturnitas eſt, ſubdito proponente votum approbandum à ſuperiore, procedunt opiniones traditæ *num.51. & 52.* & adhuc verius eſt ſufficere, ut probaui *numer. 52.* ut ſit legitimus conſenſus.

CAPUT XXVIII

De facultate irritandi vota emiſſa tempore ſubjectionis alteri habenti poteſtatem dominativam, quæ competit ſuperiori diverſo habenti quoque dominativam poteſtatem.

SUMMARIUM.

Poteſtas ſuperioris ſubſequentis dominativa, poteſt eſſe duplex, numero 1.
Proponuntur probantia poſſe ſuperiorem ſuccedentem in utramvis poteſtatem dominativam, irritare vota tempore prioris emiſſa, num.2.
Explicatur qualiter ſuccedens in eamdem moraliter poteſtatem poſſit irritare vota, ita ut non reviviſcant eo modo, quo prior poterat, num.3.
Quid, ſi de licentia prioris ſuperioris, aut majoris, aut æqualis, aut minoris, ſint emiſſa? Remiſſivè, nu.4.
Explicatur, an poſſit verè irritare, an tantùm ſuſpendere, ſuccedens in diverſam moraliter poteſtatem dominativam, numero 5.
Quid, ſi fœmina impubes ex licentia patris voveat, & poſtea nubat, an poſſit vir id votum irritare? eodem num.5.
An peccet mulier iniens matrimonium, ſciens impediendam ad votnm exequendum? num.6.

1 PRæmittendum eſt, duplicem poſſe eſſe poteſtatem dominativam ſubſequentem. Altera eſt, diverſæ moraliter poteſtatis, ut ſi prior ſit tutoris, aut patris in pupillum, poſterior curatoris, aut viri in uxorem, aut è contra. Altera vero eſt ejuſdem moraliter poteſtatis, ut eſt tutoris ſuccedentis patri, aut alii tutori, in curam pupilli, & prælati religionis ſuccedentis alii prælato, & viri ſuccedentis alii viro, & domini alii domino, & curatoris alii curatori, aut patri in curam puberis.

2 Videtur, utrouis modo ſuccedat ſuperior in poteſtatem dominativam ſubditi, poſſe irritare vota tempore prioris emiſſa. Quia cum ille ſubditus non fuerit ſui juris tempore voti, id pependit à poteſtate dominatiua formaliter, & non à ſola hac materiali. At poteſtas dominativa formaliter eſt in ſequenti ſuperiore.

3 Prima concl. Superior ſuccedens in eamdem moraliter poteſtatem dominativam, poteſt verè, & directè omnia ea vota irritare, quæ tempore prioris ſuperioris emiſſa ſunt, & ille poterat ea propriè, & directè irritare; & ita ſicut irritata à priori non reuiuiſcerent, ita nec irritata ab hoc poſteriori. Verbi gratia religioſus emiſit votum tempore unius ſuperioris, impubes dum ſubjiciebatur patri, aut tutori, pubes dum ſubjiciebatur patri, ant curatori, ſervus tempore prioris ſeruitutis, uxor tempore prioris viri, poteſt